ERYCI PUTEANI

BAMELRODI
Historiographi Regii, Professoris, Consiliarii, &c.

EPISTOLARUM POSTHUMARUM

CENTURIA VI.

AD
NOBILE
PAR AMICORUM.



LOVANII,
Typis ANDREAE BOUVETI, Typ. jur.
ANNO CIƆ. IƆC. LXIII.

EXCELLENTISSIMO
AC
STRENUISSIMO VIRO,
JOANNI BICHIO,
ANTONII CARDINALIS
FRATRI,
EXCELSI ATQUE INVICTI ANIMI
HEROI,
ORDINIS
HIEROSOLYMITANI
EQUITI,
AC PROVINCIÆ CAPUANÆ
PRIORI,

CLASSIS PONTIFICIÆ
SUBSIDIO VENETORUM MISSÆ
PRO-PRÆFECTO GENERALI;
SICQUE
TURCIS FORMIDABILI,
MILITI TAM SOLERTI
QUAM FORTI,
CENTURIAM
EPISTOLARUM
AB
ERYCIO PUTEANO,
AD
NOBILE
PAR AMICORUM.
SCRIPTARUM
AUTHORIS GENER
XYSTUS ANTONIUS MILSER
REVERENTER
OMNINO EXHIBET.

ERYCI

ERYCI PUTEANI
EPISTOLARUM
POSTHUMARUM,
AD NOBILISSIMUM
ET AMPLISSIMUM VIRUM
D. GUILIELMUM DE BLITTERSWYCK,
Equestri apud Sicambros Stirpe, ibidem nuper in Suprema Curia Senatore & Procancellarium: nunc in Magno Belgicæ Senatu Consiliarium, Libellorumq́ Domus Regiæ Magistrum,

CENTURIÆ VI.
PARS PRIOR.

EPISTOLA I.
Bruxellam.


Pistola HORICKII nomine scripta, omnino bona est: in quâ neque prudentiam, neque elegantiam desiderem. Obiter verò admovi manum, non

quia necessarium erat, sed quia cupiebas. Ebur igitur atramento candefacere conatus sum: & sic magis animi mei candorem ostendi. Epistolâ etiam depromam Elogium; sed ad te dirigendâ. Sic honestus Admirandum Artificem, & de me optimè meritum, laudaturus sum. Meritum autem, tuâ, mi Amice, caussâ: cui jam amplius quàm imaginem debeo. Ad PURPURAM meam quod attinet, coràm agemus. Te enim & candidissimum BIABUM nostrum exspecto. Hem si Amici estis, rectà ad Arcem. Aliter sanè non putabo vos LOVANIUM venire. Valete. P. FAUSTO mox responsurus sum. Lovanii, in Arce, IV. Kalen. Maii, ∞. IↃC. XXXVIII. Filius meus priores dederit: qui utinam destinato Epithalamio, tecum veniat.

EPISTOLA II.

Bruxellam.

A Scriba vestro, humanitatis & modestiæ laude digno, divitem fasciculum accepi. Ecce breviter respondeo, meis adhuc quibusdam

busdam curis ſeptus; ut videas, & tuas mihi litteras ſemper gratas eſſe, meas interdum impediri. Elogium ingenioſiſſimi HORIQUII in Lunæ diem diſtuleram: verus ero, quamvis à vero diſcedere coactus ſim. Alter Lunæ aderit, nec fallam. Simul igitur de Statua Mercuriali, & mortis imagine. JUSTUS meus ANTVERPIA fortè jam redierit. Certè adeſſe eum velim, ut hic & in BIBLIOTHECA, & apud Typographum me juvet. Conſilia verò mea omnia aliàs aperiam. MICHALORUM meum HEAUTONTIMERUMENON mox etiam videbis. Ad Encoenia me vocas? Amo te, ſed nónne, quando veniam, Encœnia erunt? Nunc, ita me Deus, impedior, detineorque. In Patris negotio ſi quid promovebitur, ſciam quæſo. Alterum noſtrum BIAEUM, ſuavemque UFFELIUM ſalvere jubeo. Vale. Lovanii, in Arce, Eidib. Maii, ∞. IϽC. XXXVIII.

EPISTOLA III.

Bruxellam.

ELogium MAXIMILIANI, LIPSII magis sensu quàm verbis expressi, paucis omnino exceptis, quæ è SENECA ille transtulit. Si vis igitur, LIPSII est, & non est: non meum, & meum. Sed me alia etiam caussa impulerat, ut quod in PURPURA non erat, aliunde viderer accepisse. Quod RUDOLPHUM attinet, vilem ille solitus vestem gestare, & sic conspicuus esse; tanquàm externa ista ornamenta, ad Viros non viros, aut non Magnos relegaret. Id significare in PURPURA obiter volui & paucorum verborum formulâ. Sed tecum sentio, in Elogio omitti posse. RUDOLPHUM II. MATHIAM, FERDINANDUM II. & III. propediem missurus sum. Uno enim aut altero die rursus in Epigrammatis Belgicis meis ero, hîc denuò ac pleno numero excudendis. Formam nequis accuset, singularem dabo; & quæ singulis pagellis singula Epigrammata repræsentet. Aliudne dicam? Dies, Menses, Annos, quemadmodùm computare ex tempore soleo,

ſoleo, hîc verſiculis expreſſi, videbis. Id enim ſcire ad Vitam Civilem facit. Veſperi tuas exſpectabo, ut quæ gerantur, aut parentur ſciam. Quid ais verò? Vivacis animi virum VLEMINGIUM in extrema linea verſari? Certè triſtor. Tu BIAEUM noſtrum gemino jam affectu complectere, ac vale. Ampliſſimum Parentem tuum veneror. Lovanii, in Arce, VI. Eid. Junii, ∞. IↃC. XXXVIII.

EPISTOLA IV.

Bruxellam.

TUo me ſilentio crucio, meum accuſo. Nónne debebam Litteras? Nónne debeo? Sed cùm in otio occupatus ſim, quid tu in negotio? Si modo valeas, bene eſt: lubet enim antiquam optimamque formulam uſurpare: ego mediocriter, & par Diſſertationibus Publicis, mox de Arte Natandi inſtituendis. Etenim Præfationem PLINII ad Librum VII. explicare conſtitui; quæ de homine eſt, & naturalibus ejus muniis. Ab his autem remotum eſſe Natatum, eleganter ſcribit. Ipſa in gratiam Auditorii Præfatio typis excuſa eſt; & hîc ecce adjecta. Sed, ſi me amas, hunc Il-

lustrissimo ZAPATAE fasciculum trade, vel tradi cura. Insunt ad RAMIRESIUM, itemque ad NEAPOLIM litteræ. Vale, & verbo uno indica, rectè tabellarium functum officio. Amplissimum Nobilissimumque D. Parentem tuum salvere jubeo: corcula quoque nostra, BIAEUM & UFFELIUM. Iterum vale, & scribe: breviter, si non potes copiosè. Lovanii, in Arce, XI. Kal. Quinctil. ∞. IↃC.XXXVIII.

EPISTOLA V.

Bruxellam.

PLurimum bonis Viris & Amicis debeo, qui pro justa VINCENTII mei VANDENDRIESII steterunt caussâ, Omen in nomine: vicit, qui ipse bonus & Amicus est, ac juvari dignus. Convalescet verò citiùs, quia sumptus recuperabit. Victoria nostra perquàm luculenta, sive adversus Batavos, sive Gallos, si & hæc certa. Videntur enim nonnulli adhuc de fide dubitare. Itaque scribe, si quid præterea intellexeris. In Munere Publico confirmatum te adhuc esse, gaudeo: atque utinam ad novum usque solstitium, statasque anni

anni vices! Scripseram ego ad Illustrissimum D. MICHAELEM SALAMANCAM: eæ litteræ an ab Amplissimo Parente tuo redditæ? Sed quid ais? CALLOENSEM expeditionem à me scribendam esse? Non detrecto, si plena instructio detur, quam subministrare Excellentissimus CANTELMUS poterit: tu hinc inde adjuvare. Ad rem imprimis faciunt, quæ à Legato Regis *GALLIÆ HAGÆ* Ordinibus proposita. Nunc vale,& me amare perge, *VANDENDRIESIO* meo favere. Lovanii, in Arce.v. Kal.Quinctil. ∞. IↃC.XXXVIII.

EPISTOLA VI.

Bruxellam.

Liberali Litterarum missu me beasti. Quemadmodùm bona & læta sunt omnia, quæ nuncias: ita & futura Deus dabit. Magnum in Urbe AUDOMAROPOLITANA momentum est, Batavis jam rejectis. Hi callidi verò ut famam cladis acceptæ imminuant. Sed noster Mercurius an omnino verus? Dissertationes meæ de Arte Natandi, Dissertationes duntaxat sunt, desumpto è libro de Natatu (quem mox editurus

diturus sum) argumento. Ad scholam quod attinet, nihil unquam majori applausu, aut frequentiâ exceptum est. Unus aut alter dies superest, quibus de Urinatoribus dicendum. Aliquando de volatu quoque. Nunc Elogium FERDINANDI habe: & reliqua exspecta. Vale, & publico judicis officio perge frui. Suaves Amiculos salvere jubeo: illum inprimis quem tu soles mel tuum & apiculam appellare. Quando sponsus erit? NICOLAI CUSANI & MARCILII FICINI Opera quæro, BASILEAE edita: juva, quæso, & me ama. Lovanii, in Arce, III. Non. Julias. CIↃ. IↃC. XXXVIII.

EPISTOLA VII.

Bruxellam.

UT dies, sic anni sunt, & noctes suas, quieti destinatas, habent. Quid igitur? Ut ad novos labores venias, otium, sed necessarium, interpones; quod nunc amœnioribus negotiis, studiisque fœcundum quoque reddes. Tecum ego, Mi BLITTERSWYCKI, videbor respirare. Sed quia apud nos jam quoque otia sunt (sic Encœnia voco)

voco) venies. Hac etiam conditione tecum fortassis BRUXELLAM iturus sum, ut Amicos videam, & simul libellos, quos intelligo apud TAILLIUM esse. Scripserat hic ad TUSIUM meum; & has ille heri ad te litteras misit, suosque addidit, ut bono Viro bonam operam des rogo. Nihil mihi gratius erit, quàm intelligere etiam illi bono Descriptionem tanquàm bonam placuisse. Quia Latinus non est, sciat, te interprete, quid latinè scripserim. Si quid etiam præstari à me poterit, segnis sanè non ero. Tuus semper, ita me tuum ames. Sed heus GRIPHUM nunc etiam absolvere velim. Itaque Nomina Fontium, Pontium, Montium, Stagnorum mitte, vel adfer, quod malo. Ordinem quoque, quem nocturni, diurnique tam Vigiles, quàm Præcones inter te servent. Carmen absolutum & sexies septenis Distichis constat, qui numerus placuit; quia Septenarius à Senario perfectionem suam capit, de qua in libro de BISSEXTO egi. Nunc salve. Lovanii, in Arce, Postrid. Kal. Septemb. ∞. IↃC. XXXIX. GRIPHUS cum Notis magnitudine suâ libri formam constituet.

SIUM meum quid ſcribam? Reducem exſpecto. Mi *BLITTERSWYCKI*, totus affligor quia nullæ à genero meo *BONVICINIO* litteræ. An tabellarii aliqui intercepti? Hoc potiùs, quàm ut aliud infortunium timeam, quod Deus avertat! Iterum Vale.

EPISTOLA IX.

Bruxellam.

QUia igitur non venis, Elogium *INTREPIDI*, quod dare ſperaveram, mitto, accuratum, niſi omnino fallor. Sed in illo *AUDACIS* error eſt, ſed numeri, *CAROLUS* enim inibi VI. nominatur; V. eſt, emendari cura. Opus ſanè ſit Tabellâ Genealogicâ, ut rectè Hiſtoria intelligatur: quam cum *BONI* Elogio ſimul habebis. Te verò quando complectar? Fiat, quæſo, hoc menſe, dum adhuc Feriæ Academicæ ſunt. Ego verò extra Ferias *BRUXELLAM* deinde audebo excurrere. Pecuniæ meæ negotium video tibi cordi eſſe; quam gratiam referam? Totam illam mi Amice, quietem, quam pecuniâ conſtituam. Ampliſſimum, Nobiliſſimumque Parentem ſalvere jubeo. Et quid videtur,

pulverem

pulverem jam ignitis globis in Urbes obsessas illæsum immitti; idem hoc LANGRENI ingenium est. In CAROLI V. Elogio quæ notaveras, bene notaveras. Mutata igitur sunt. In fine aptiorem periodum litura, quam videbis, faciet. PHILIPPUS BONUS in pulpito, & sub manu est: felix Princeps, & vel ideò, quia Bonus fuit: bene autem scribendus, ne violasse gloriam ejus videar. Illud, de quo heri, proximè missurus sum: neque enim ad manum fuit famulus, qui illud ad tabellarium ferret. Hæc verò epistola, & vix epistola, non meo traditur. Vale, & me ama. Lovanii, in Arce, III. Eid. Septemb. ∞.IↃC. XL.

EPISTOLA X.

Bruxellam.

VEtulam hanc etiam, quam involvo, epistolam mitto, à negligentissimo famulo meo die Saturni non destinatam. Quod verò de adventu tuo significas, gratissimum mihi, sed rectà ad Arcem, si aliquid mihi tribuis. Amari me à Nobilissimis DONGELBERGIIS ipsa liberalitas indicat. Aureum munus vocas: ego

ego ipſos Aureos. Sed illi omnem operam meam majore volunt animo vincere & me ſibi obligare. Tibi verò quid in mentem venit, ad benevolentiæ ſigna venire ? Nónne ea jam mihi perfectiſſima eſt ? Mille modis tuus ſum : & amplius vis eſſe ? Vide potiùs quid à me hoſtimenti exigere debeas; quia omnia mea tua eſſe ſtatues. Totus gaudeo, Excellentiſſimo *MALVEZZIO* Scriptionis officium, quod ſanè debui, perplacuiſſe. Exemplaria hic bis ſena habes, an decorum ſit, neſcio : ſed expende ; tria ipſi *MALVEZZIO* dari queant. Vale, & veni; atque ad ipſam Arcem. Lovanii, in Arce, XIII. Kal. Jun. ∞. I Ↄ C. XLI.

EPISTOLA XI.

Bruxellam.

VEnit Justus, tuasque reddidit. Sanè ut ſcribis, abiviſſe mihi non videris. Mente nimirum & cogitatione te fruor, & in epiſtola velut imagine contemplor. Statui verò, niſi aliud intervenerit, proximis Feriis (clariùs dicam, proximo menſe) *BRUXELLAM* excurrere, ſeptenarium nume-
rum

EPISTOLA XII.

Bruxellam.

GEmmam ego hanc sanè Comœdiam censui: Auctoris ingenium nonnisi lumen. Omnia pulchra, omnia ornata, omnia pretiosa. Vix credas verò, quàm lepidissimo isto argumento capiar. Laudandus mihi erit Excellentissimus Marchio: sed pulcherrima hæc occasio. Laudanda Conjux præstantissima: cujus nomen & titulos hac occasione scire velim. Laudandus Filius, & Filiæ: ille jam in Dedicatione utcumque repræsentatus: hæ cùm tres sint, cum *GRATIIS* comparentur. Scribam igitur Dissertatiunculam aliquam, quantùm potero, plausum quasi daturus floridissimæ huic Scenæ. Te verò nunc rogo, uti ejusdem Auctori optimam voluntatem meam indices: quem totus totum amo, & ob ingenii præstantiam veneror. De Centuria *BLITTERSWYCKIANA* cogitavi, quid si ex Epistolis omnibus ad te scriptis, Centum meliores seligantur, quæ extra ordinem Volumen constituant? Litteræ secundæ meæ ad Excellentissimum Marchionem, an sic meliores?

liores? Heri missæ sunt. *TUSIUS* meus adhuc non rediit, quem avidè, & in horas exspecto. Tibi, quæso, *PODIUM* curæ sit: *TERESIA* quidni primo loco laudetur, quam in Tutelarem suam utraque *CASTELLA* elegit? Sed satis: *PODIUM* excudi, imò excusum esse velim. Hoc agat *TOMMARMIUS*, si me, si te, si studia nostra, & sua simul commoda amat. Vale. Lovanii, in Arce, ix. Kal. Feb. ∞. IↃC. XLIII.

EPISTOLA XIII.

Bruxellam.

NOn infeliciter vecti, etsi per ambages, LOVANIUM, & post Solis occasum, venimus. Domi bene omnia: nisi quod satis graviter Uxor afflictum à casu crus dexterum & genu habeat: hactenus enim per tabulatum putre descenderat. Mutandi igitur asseres erunt, ut graviora & pericula & mala evitentur. Quo in discrimine fuerim, anno meo Climacterico, cùm trabs in me caderet, adhuc horreo dicere. Hæc vitia domus sunt, nimis antea neglectæ. Non omnia autem hactenus à me emendari potuêre. Faber lignarius

rius Regius sumptus operis æstimavit, cujus schedulam hic habes. Commendo igitur Petitionem meam: quam ipse Amplissimus Thesaurarius Tibi curæ fore, pollicitus est. Loca instauranda præcipuum in Arce usum habent: sine quibus nulla etiam habitatio sit. Cæterùm quemadmodùm præter opinionem diutius absui; ita pluſculum, reversus, negotii inveni. Nunc verò meus iterum esse incipio: scripturus cras ad Excellentissimum TAGRADULEONTEM, quem hactenus RUMASSAM appellavimus, super negotio tuo: & nónne meo? Ad CARURAM quoque, aliosque. ANAGRAMMATISMI THEORESIN concinnamus simul mittendam. Vesperi specimen PODII exspectabo. De aliis rebus cras. Monendus erit Pictor, ut Exemplar adhuc unum Imaginis meæ paret. Pretium utriusque simul à me accipiet; quod idcirco scire cupio, Vale, & Parentem Optimum omnesque Amicos saluta. Lovanii, in Arce, VII. Kal. Mart. CIↃ. IↃC. XLIII.

EPISTOLA XIV.

Bruxellam.

SEptem etiam Lampadis Exemplaria accepi: & hæc jam satis; Bibliophilos nostros hodie commonefaciam. Arcana verò ista, ejusmodi sunt, ut satis admirari ingenium ENNUDELII nequeam. Habent sanè Mathematici omnes, quod considerent & expendant. Aspidem Solis hoc tempore in sexta parte, sive gradu Cancri esse, ex hac LAMPADE didici: fuisse autem in Principio hujus signi, sive in ipso Solstitio, circa annum ∞. CC. LXX. cùm jam fata Imperii Majestatem RUDOLPHO HABSBURGICO pararent, quod pulcherrimæ contemplationis argumentum est, nemini hactenus animadversum. Id cùm ENNUDELIO nostro, de Aspide mecum agenti, proponerem, exiliit, & me simul cohortatus est, ut tam insigne AUSTRIACAE ORIGINIS Mysterium, primâ aliquâ occasione publicè explicarem. Explicabo: & ne morasit in Elogio, vel certè ad Elogium FREDERICI IV. IMPERATORIS quod in manus mox sumam. Statui enim

A QUI-

AQUILAM illam AUSTRIACAM absolvere, Anagrammatismis nostris utcumque interruptam. Nihil tamen mihi gratius erit, quàm à LYSIO de ignota mihi Anagrammatismographo moneri. Amet me ECHREDUS noster. EUBISAM complector quoque: in cujus gratiam, Litteras Illustrissimi Elegantissimique FABII CHISII à principio repræsento. ENNUDELIUS hodie HERCAM suam petiit, ubi P. TIERAM exspectabit. Hoc indica, & me ama. Lovanii, in Arce, III. Kal. Jun. ∞. IↃC. XLIII.

EPISTOLA XV.

Bruxellam.

NEscio, an ab hac jam ætate mea aliquid manare mellis queat. Si quid tibi videtur, benevolentiæ tuæ est, quam amo & admitto. Cæterùm & multa mihi certè acida aut amara sunt, sed CATONIS animo concoquenda. Non tantùm poterunt homines, sive à virtute, sive à litteris alieni, ut infelix sim. Illam colam, quam diu victurus sum: his ipsam conabor vitam oblectare. DENNERFÆ

 episto-

epistolam reddo. Altera ad Parentem, si quid proderit, gaudebo equidem, & plenam sperare tranquillitatem incipiam. Sed quid ais? Eum decumbere? Et hoc triste, suis, ut video, & ille malis obnoxius est, quæ Deus leniat, imò tollat? Te servet. Totus in LARAM feror: veniat, veniat; ut & Te simul complectar. Lovanii, in Arce, Postrid. Nonas Augusti, ∞. IↃC. XLIII.

EPISTOLA XVI.

Bruxellam.

TAndem igitur ades? Gaudeo ac lætor vehementer. De Dignitate Senatoria intellexeram, quam & Tibi, & Dominæ Conjugi, totique Familiæ, quàm solenniter, tam candidè gratulor, plurimùm profectò & ipse in hoc honore consecutus. Indigebam & apud Sicambros nostros Amico, indigebam BLITTERSWYCKIO, qui & ingenii, & eruditionis, & prudentiæ ornamentis splendens, Litterarum quasi in nocte jacentium, fortunam illustraret. Ego quid jam præstem? Consenui: nisi post IMPERATORES AUSTRIACOS, quos absolvere jam

statui,

statui; DUCES quoque GELDRIÆ repræsentem. Te exspecto, ut uberiorem de omnibus sermonem instituam: imò ut audiam tuis tot Amicos verbis loqui; qui honorem Genio tuo, & sic meo habuerunt. Sed quid ais? Excellentissimum WALTHERUM ZAPATAM gravi morbo affligi, vehementer doleo, nostrâ, Litterarum, & Reipublicæ caussâ. Servet Deus Virum, qui in exemplum veræ bonitatis, humanitatis, & elegantiæ natus est; ille meus, ille tuus, ille bonorum omnium. Votis locus est, quæ Summum Numen, ut spero, audiet; & magnum nobis Pacis conficiendæ momentum corroborabit. Cæterùm res meæ ut solent; valetudo pro ætate, studia pro valetudine. BIVIUM tamen VITAE HUMANAE paratur, ut publici juris fiat. APHORISMI POLITICI partem rursus Lectionum & Dissertationum constituunt; quod Opus, nisi fallor, decumanum erit, & decumanis quoque typis d gnum. Quid etiam? IMPERATORES in manu sunt, unâ quidem opera FREDERICUS & MAXIMILIANUS, ut reliqui deinde CAROLO adjungantur. Hæc SLINGELANTII epistola, te vel maximè spectat, & quasi ad te directa: mitti sibi Optimus eam Parens tuus cupiebat. Mitto, sed ut à te ac-

cipiat, cum uberrimo salutis voto. Arcis negotium, quod in se suscepit, hac occasione commendo. Te rogo, ut cùm venies, conferre utrumque Diploma, Litterasque Regias à Sanctiori Ærario confirmatas, velis. Sic nunc te complector toto animo, & lætum felicemque esse jubeo. Salveat EUBISA noster: tu salve, vale, iterumque salve. Lovanii, in Arce, III. Eid. Aprilis. ∞. IↃC. XLIV. Si quid de MENTALCO certi, quæso sciam. Stemma ejus apud EUBISAM videris: hîc te Exemplar exspectat. Remitto fasciculum CARAMUELI inscriptum: is enim in GERMANIAM, jam Abbas profectus est.

EPISTOLA XVII.

Bruxellam.

O Tristem Excellentissimi *WALTHERI ZAPATÆ*, & nimis repentinum casum! In uno malo plura mala, sed unum tamen maximum; quia qui dignissimus longiori erat vitâ, sic nobis, & Regi, & Reipublicæ ereptus. Hæret & mihi animus, hæret calamus, & quasi obstupescit. Idcirco quæ

ſcribenda erant differo; vel etiam ut in ſermonem conjiciantur. Ergo nec de Arce jam dico: nec de altera petitione, quam non unis jam Litteris *RAMIRESIO* commendavi. *MENTALCUS* & ſuas partes exequetur. Ad *NICOTHISCUM* lubens gratiam ſcribam. Sed hactenus ſcire non potui, quomodò de illo honore Sicambrico conſtitutum fuerit; cùm ſatis putarem gratum animum *TAGRADULEONTI* explicare. Ad hunc ſcripſi nuperrimè, adhuc ſcripturus. Sed *URRACAM* ægrotare doleo: quem Deus nobis ſervet. Te quoque Optimumque Parentem, *EUBISAM* noſtrum, & cæteros Amicos. Imago Urbis *MONASTERIENSIS*, item *AMSTELODAMENSIS*, & quæ adjuncta erant grata mihi fuere. Te ipſum videre & complecti cupio. Filium *ANDREAM* exſpecto. Vale. Lovanii, in Arce, Eid. Aprilis. ꝏ. IↃC, XLIV.

EPISTOLA VII.

Bruxellam.

AB Avunculo *AHENO* alterum jam faſciculum accepi: in quo præter Tablas Geographicas, imago *VOSSII* erat,

verè pulchra & venerabilis, in pretio mihi habenda & honore. Sed tu nimis in me effusus es, & propemodùm liberaliter peccas: bene rursus meriturus, si gratum me esse siveris. Erat quidem sine epistola fasciculus: & sic tamen loqui vel maximè uideberis. Ergo potiùs qui nunc scribo, mutus sum; quia munus nullum mitto. Veni, veni, ut dare possim. Hasce litteras cum libello supplici, militis & Amici mei, gravi Herniâ laborantis, prorsus velim ad *TAGRADULEONTEM* missas esse: vide, claude, mitte: quod omnino erit, novum beneficium mihi, imò Amico misero dare. *ANDREAM* meum exspecto. Vale & me ama. Lovanii, in Arce, XVII. Kalendas Majas CIƆ. IƆC. XLIV. Tu quando ad nos? Iterum vale, & salve, salveantque omnes quos affectu complectimur. Perillustri D. *FRANCISCO DE VRRACA* cultum meum deferas, cupio: an convaluerit, jam scire haveo.

EPISTO-

Epistola XIX.

Bruxellam.

PRiores litteræ tuæ vehementer me contristârunt. Quomodò enim Amici mala, mea non censeam? Sed unum nobis hoc nunc faciendum est, ut æquo ea animo feras. Ad sermonem venire cupis? Et ego: me audire? Et ego te. Sed ut hæc mala dirimantur, mollia fandi tempora captabo. Ego quidem gravissimâ planè ravi correptus, omnem pœnè vocem amisi. Quia verò permolestum est loqui, etiam scribere insuave est; ac videntur solita mihi munia mea nauseam adferre. Intermittere etiam hodie Lectionem coactus sum, non tanquàm ægrotem, sed tanquàm langueam. Tu adhuc scribe, & excitabor: scribe, & vocem recipiam. Imò verò veni, quod amplius erit, quàm scribere. Veni & valebo. *EUBISAM* complector. Cùm venies, ut à *CHIFFLETIO* Codicem Legum Barbaricarum, quo nunc indigebam, adferre velis, rogo. Vale. Lovanii, in Arce, XIII. Kal. Majas, ∞. IↃC. XLIV. Qui te amant, omnes salveant. Vidisti in Batavia

Oratio-

Orationes meas ab *ELZEVIRIANIS* excusas? Nihil pulchrius, nihil nitidius. Sed quàm vellem me præmonitum fuisse!

EPISTOLA XX.

Bruxellam.

VOcem jam quodammodò mihi vindicavi; sed loquor tamen faciliùs, quàm dico; ideoque à Lectione Publica etiam abstineo. Animum quantùm possum, compono, ut vel in nube, serenum habeam. Sapientis id munus est: quod, ut & tuum facias, rogo. Et quidni facias, *ASORE* tibi favente? Quid *BITHOSCO*, si perscripseris, gratum erit. *NICOTHISCUM*, *NICOTHISCUM* inveneris, humanissimum benignissimumque. Etiam à *LARA* litteræ? Quæ scribit obiter, videntur non parvi momenti esse. Rectè, quod legi, quoque ab *AHENO* volueris. Versionem Dedicationis videre cupio: & ipsam mox quoque Orationem. Latinæ Exemplar nullum mihi superest: quærendum igitur. De Sacris dicendis hodie Hibernos illos interpellabo, cras scripturus. Sed & nos hic tam piis *VERULTHÆ* Manibus bene precari non desivi-

desivimus. Vale, & me, si lætum esse vis, ama. Lovanii, in Arce, xi. Kal. Majas. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA XXI.

Bruxellam.

Libenter quæ scribis, & cum voluptate lego: tu favorem Magnorum amplectere, & fove; ut inter Magnos & ipse aliquando sis, Medioxumus supergressus. Ad Patres Hibernos heri ipse vehi volui, quamvis frigidior aura esset, ventusque infestior. Actum igitur de Sacris dicendis, & transactum est. Hodie Sacrum hoc pensum agressi sunt, & totâ pietate boni Patres bonis Manibus parentabunt. Sed quando te videbo? Quando stringam? Tibi & D. Conjugi, ego, & mea, ac filiæ amicissimam salutem dicimus. Brevis ecce sum & adhus raucus, tussi etiam laborans. Sed leve malum est, vincendum, si neglexero. Lovanii, in Arce, x. Kal. Majas. ∞. IↃC. XLIV. Hæc ad *BONVICINIVM* meum epistola, tuæ se humanitati insinuat. *EUBISAM* nostrum amo, & pœnitus meum esse cupio. *NICOTHISCO* mox scribam. Nihildum ex *HISPANIA*?

EPISTOLA XXII.

Bruxellam.

CUm propitium jam non ASOREM tantùm, sed & BITHOSCONEM habeas, magis, magisque utrique te insinua, meum simul & affectum & cultum ad eosdem adfer, & si quid studiis possum. Magis jam amari me video, quia te; generosiùs etiam animos attollo. De MENTALCO libenter & cum gaudio intellexi. Ubi autem PICOLOMINIUS? In HISPANIAM die Saturni scribam. Nova quæ præterea mittis, hodie R. AHENO prælecturus sum. Una tabula & te, & LARCAM tuam, & utramque prolem eleganter recipiat: quid si in mensa tapete strata, cui tu cum Uxore assideas, Statua MERCURI, sive HERMATHENÆ collocetur, in quam major filius stans, vultum manumque dirigat? Vel in te vultum, in Statuam manum; Uxor deinde minorem gremio sustineat: cui & ipsa eandem Statuam ostendat? Sed Pictor audiendus est, quem mihi videris prudenter elegisse. Hæc sic obiter scribo, à publica dissertatione rediens,

quæ

quæ de Censura morum fuit, occasione disciplinæ militaris. Vale, & saluta, quos unâ tabulâ complecteris. Lovanii, in Arce, IV. Kal. Majas, ∞. IↃC, XLIV.

EPISTOLA XXIII.

Bruxellam.

Ex ultimis litteris statum amici intellexi, & in varias animum cogitationes divisi. Sed proximè aliquid sive consilii, sive solatii conabor adferre. Ferre oportet, quæ asperiora sunt; omnibus istis mox major erit. Nunc te per amicitiam nostram, & per omnia, quæ cara sunt, rogo, ut geminum hunc fasciculum velis quàm diligentissimè destinatum esse. Alter est ad Humanissimum *URRACAM* nostrum, qui & *TAGRADULEONTEM* spectat. Alter ad Heroëm nostrum *CANTELMUM*, in *HISPANIAM*; in quo de petitione mea agitur. Respondi simul *RAMIRESIO*, cui totam felicitatem meam debere me profiteor; ne plura dicam. Hæc ita scribere volui, tanquàm & Amicissimo *EUBISÆ* scriberem. Vale, & D. Conjugem à tota Familia mea saluta. Lovanii, in Arce, Prid. Kal.

Kal. Majas, ∞. IↃC. XLIV. Die Lunæ *D. DRUNI* litteras remittam. Quæso Codicis Legum Barbaricarum, qui apud *CHIFFLETIUM* memor esto, & me amato. Quemadmodùm Lectiones meæ sunt, libro isto indigeo.

EPISTOLA XXIV.

Bruxellam.

PRopitiis Musis Elegia ista scripta est: & fluit & suavi affectu familiaritatem explicat. Sed ego hesternam, quasi otiosus, scriptionem intermisi. Quid circa Imaginem conceperis, fac sciam. Rectiùs verò Historiam aliquam Profanam quàm Sacram attingas. Epistolam meam ad Illustrissimum *BRUNUM* nimis tibi placuisse video. Mitte igitur. Alias ad *MALENCKROTIUM*. Adhortatiuncula ad pacem bona est, & efficax; sed confictam arbitror. Digna certè erat quę in plures hîc manus veniret. Filius meus *ANDREAS* aliquot adhuc dies *BRUXELLÆ* commoraturus est. Te mox exspectare incipiam. Sed obsecro quid libri è *GALLIA*? Quid à *NARDUSE*? Hic nos Vir monet ut *BRUXELLAM* producamus. Faxit Deus ut res meæ in *HISPANIA* felicem evitum

exitum sortiantur! Non profectò suis RAMIRESIUS partibus deerit: & CANTELMUS pondus adjiciet. Quod Antistes NIHUSIUS de LOTHARIO petit, mox expendam, quantùm potero, hactenus enim aliæ me curæ habuerunt. ZAPIUM ANTVERPIAM quoque ivisse intellexeram; an igitur redit? An onustus? Hunc saluto, sed & RUARCAM, humanissimum sanè Virum, & omni affectu meo cultuque dignum. Vale cum tua, & liberis: EUBISAM verò semper includo. Lovanii, in Arce, Prid. Non. Majas, ∞. IↃC. XLIV. Salveat & TIMMARCMUS. Ut aliquid præter Epistolam mittam, Matris CHRISTINÆ, Sororis meæ vitam à Viris Religiosis scriptam adjungo.

EPISTOLA XXV.

Bruxellam.

IN pictura aptanda & ingeniosus, & elegans fuisti; ut & veram & Symbolicam faceres; Historiam, & simul Fabulam complecterereris. Felix nunc igitur Artificis penicillus sit, & aliquid à majori ingenio adferat. Liberi imaginem olim ALEXANDER quia

cipiat, cum uberrimo salutis voto. Arcis negotium, quod in se suscepit, hac occasione commendo. Te rogo, ut cùm venies, conferre utrumque Diploma, Litterasque Regias à Sanctiori Ærario confirmatas, velis. Sic nunc te complector toto animo, & lætum felicemque esse jubeo. Salveat EUBISA noster: tu salve, vale, iterumque salve. Lovanii, in Arce, III. Eid. Aprilis. ∞. IↃC. XLIV. Si quid de MENTALCO certi, quæso sciam. Stemma ejus apud EUBISAM videris: hîc te Exemplar exspectat. Remitto fasciculum CARAMUELI inscriptum: is enim in GERMANIAM, jam Abbas profectus est.

EPISTOLA XVII.

Bruxellam.

O Tristem Excellentissimi *WALTHERI ZAPATÆ*, & nimis repentinum casum! In uno malo plura mala, sed unum tamen maximum; quia qui dignissimus longiori erat vitâ, sic nobis, & Regi, & Reipublicæ ereptus. Hæret & mihi animus, hæret calamus, & quasi obstupescit. Idcirco quæ scribenda

ſcribenda erant differo ; vel etiam ut in ſermonem conjiciantur. Ergo nec de Arce jam dico : nec de altera petitione, quam non unis jam Litteris *RAMIRESIO* commendavi. *MENTALCUS* & ſuas partes exequetur. Ad *NICOTHISCUM* lubens gratiam ſcribam. Sed hactenus ſcire non potui, quomodò de illo honore Sicambrico conſtitutum fuerit; cùm ſatis putarem gratum animum *TAGRADULEONTI* explicare. Ad hunc ſcripſi nuperrimè, adhuc ſcripturus. Sed *URRACAM* ægrotare doleo : quem Deus nobis ſervet. Te quoque Optimumque Parentem, *EUBISAM* noſtrum, & cæteros Amicos. Imago Urbis *MONASTERIENSIS*, item *AMSTELODAMENSIS*, & quæ adjuncta erant grata mihi fuere. Te ipſum videre & complecti cupio. Filium *ANDREAM* exſpecto. Vale. Lovanii, in Arce, Eid. Aprilis. CIↄ. IↄC, XLIV.

EPISTOLA VII.

Bruxellam.

AB Avunculo *AHENO* alterum jam faſciculum accepi : in quo præter Tabulas Geographicas, imago *VOSSII* erat,

 verè

verè pulchra & venerabilis, in pretio mihi habenda & honore. Sed tu nimis in me effusus es, & propemodùm liberaliter peccas: bene rursus meriturus, si gratum me esse siveris. Erat quidem sine epistola fasciculus: & sic tamen loqui vel maximè uidebaris. Ergo potiùs qui nunc scribo, mutus sum; quia munus nullum mitto. Veni, veni, ut dare possim. Hasce litteras cum libello supplici, militis & Amici mei, gravi Herniâ laborantis, prorsus velim ad *TAGRADVLEONTEM* missas esse: vide, claude, mitte: quod omnino erit, novum beneficium mihi, imò Amico misero dare. *ANDREAM* meum exspecto. Vale & me ama. Lovanii, in Arce, XVII. Kalendas Majas ↀ. IↃC. XLIV. Tu quando ad nos? Iterum vale, & salve, salveantque omnes quos affectu complectimur. Perillustri D. *FRANCISCO DE VRRACA* cultum meum deferas, cupio: an convaluerit, jam scire haveo.

EPISTO-

EPISTOLA XIX.

Bruxellam.

PRiores litteræ tuæ vehementer me contristârunt. Quomodò enim Amici mala, mea non censeam? Sed unum nobis hoc nunc faciendum est, ut æquo ea animo feras. Ad sermonem venire cupis? Et ego: me audire? Et ego te. Sed ut hæc mala dirimantur, mollia fandi tempora captabo. Ego quidem gravissimâ planè ravi correptus, omnem penè vocem amisi. Quia verò permolestum est loqui, etiam scribere insuave est; ac videntur solita mihi munia mea nauseam adferre. Intermittere etiam hodie Lectionem coactus sum, non tanquàm ægrotem, sed tanquàm langueam. Tu adhuc scribe, & excitabor: scribe, & vocem recipiam. Imò verò veni, quod amplius erit, quàm scribere. Veni & valebo. *EUBISAM* complector. Cùm venies, ut à *CHIFFLETIO* Codicem Legum Barbaricarum, quo nunc indigebam, adferre velis, rogo. Vale. Lovanii, in Arce, XIII. Kal. Majas, CIↃ.IↃC.XLIV. Qui te amant, omnes salveant. Vidisti in Batavia

Oratio-

Orationes meas ab *ELZEVIRIANIS* excusas? Nihil pulchrius, nihil nitidius. Sed quàm vellem me præmonitum fuisse!

EPISTOLA XX.

Bruxellam.

VOcem jam quodammodò mihi vindicavi; sed loquor tamen faciliùs, quàm dico; ideóque à Lectione Publica etiam abstineo. Animum quantùm possum, compono, ut vel in nube, serenum habeam. Sapientis id munus est: quod, ut & tuum facias, rogo. Et quidni facias, *ASORE* tibi favente? Quid *BITHOSCO*, si perscripseris, gratum erit. *NICOTHISCUM*, *NICOTHISCUM* inveneris, humanissimum benignissimúmque. Etiam à *LARA* litteræ? Quæ scribit obiter, videntur non parvi momenti esse. Rectè, quod legi, quoque ab *AHENO* volueris. Versionem Dedicationis videre cupio: & ipsam mox quoque Orationem. Latinæ Exemplar nullum mihi superest: quærendum igitur. De Sacris dicendis hodie Hibernos illos interpellabo, cras scripturus. Sed & nos hic tam piis *VERULTHÆ* Manibus bene precari non desivi-

desivimus. Vale, & me, si lætum esse vis, ama. Lovanii, in Arce, XI. Kal. Majas. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA XXI.

Bruxellam.

Libenter quæ scribis, & cum voluptate lego: tu favorem Magnorum amplectere, & fove; ut inter Magnos & ipse aliquando sis, Medioxumus supergressus. Ad Patres Hibernos heri ipse vehi volui, quamvis frigidior aura esset, ventusque infestior. Actum igitur de Sacris dicendis, & transactum est. Hodie Sacrum hoc pensum agressi sunt, & totâ pietate boni Patres bonis Manibus parentabunt. Sed quando te videbo? Quando stringam? Tibi & D. Conjugi, ego, & mea, ac filiæ amicissimam salutem dicimus. Brevis ecce sum & adhus raucus, tussi etiam laborans. Sed leve malum est, vincendum, si neglexero. Lovanii, in Arce, X. Kal. Majas. ∞. IↃC. XLIV. Hæc ad *BONVICINIVM* meum epistola, tuæ se humanitati insinuat. *EUBISAM* nostrum amo, & pœnitus meum esse cupio. *NICOTHISCO* mox scribam. Nihildum ex *HISPANIA*?

EPISTOLA XXII.

Bruxellam.

CUm propitium jam non ASOREM tantùm, ſed & BITHOSCONEM habeas, magis, magisque utrique te inſinua, meum ſimul & affectum & cultum ad eoſdem adfer, & ſi quid ſtudiis poſſum. Magis jam amari me video, quia te; generoſiùs etiam animos attollo. De MENTALCO libenter & cum gaudio intellexi. Ubi autem PICOLOMINIUS? In HISPANIAM die Saturni ſcribam. Nova quæ præterea mittis, hodie R. AHENO prælecturus ſum. Una tabula & te, & LARCAM tuam, & utramque prolem eleganter recipiat: quid ſi in menſa tapete ſtrata, cui tu cum Uxore aſſideas, Statua MERCURI, ſive *HERMATHENÆ* collocetur, in quam major ſilius ſtans, vultum manumque dirigat? Vel in te vultum, in Statuam manum; Uxor deinde minorem gremio ſuſtineat: cui & ipſa eandem Statuam oſtendat? Sed Pictor audiendus eſt, quem mihi videris prudenter elegiſſe. Hæc ſic obiter ſcribo, à publica diſſertatione rediens,

quæ

quæ de Censura morum fuit, occasione disciplinæ militaris. Vale, & saluta, quos unâ tabulâ complecteris. Lovanii, in Arce, IV. Kal. Majas, ∞. IↃC, XLIV.

EPISTOLA XXIII.

Bruxellam.

EX ultimis litteris statum amici intellexi, & in varias animum cogitationes divisi. Sed proximè aliquid sive consilii, sive solatii conabor adferre. Ferre oportet, quæ asperiora sunt; omnibus istis mox major erit. Nunc te per amicitiam nostram, & per omnia, quæ cara sunt, rogo; ut geminum hunc fasciculum velis quàm diligentissimè destinatum esse. Alter est ad Humanissimum *URRACAM* nostrum, qui & *TAGRADULEONTEM* spectat. Alter ad Heroëm nostrum *CANTELMUM*, in *HISPANIAM*; in quo de petitione mea agitur. Respondi simul *RAMIRESIO*, cui totam felicitatem meam debere me profiteor; ne plura dicam. Hæc ita scribere volui, tanquàm & Amicissimo *EUBISÆ* scriberem. Vale, & D. Conjugem à tota Familia mea saluta. Lovanii, in Arce, Prid. Kal.

exitum sortiantur! Non profectò suis RAMIRESIUS partibus deerit: & CANTELMUS pondus adjiciet. Quod Antistes NIHUSIUS de LOTHARIO petit, mox expendam, quantùm potero, hactenus enim aliæ me curæ habuérunt. ZAPIUM ANTVERPIAM quoque ivisse intellexeram; an igitur redit? An onustus? Hunc saluto, sed & RUARCAM, humanissimum sanè Virum, & omni affectu meo cultuque dignum. Vale cum tua, & liberis: EUBISAM verò semper includo. Lovanii, in Arce, Prid. Non. Majas, ∞. IↃC. XLIV. Salveat & TIMMARCMUS. Ut aliquid præter Epistolam mittam, Matris CHRISTINÆ, Sororis meæ vitam à Viris Religiosis scriptam adjungo.

EPISTOLA XXV.

Bruxellam.

IN pictura aptanda & ingeniosus, & elegans fuisti; ut & veram & Symbolicam faceres; Historiam, & simul Fabulam complecterereris. Felix nunc igitur Artificis penicillus sit, & aliquid à majori ingenio adferat. Liberi imaginem olim ALEXANDER quia

Magnus, affectavit, postea Ægypti Reges, demùm M. ANTONIUS III. Vir, cui Athenienses PALLADEM suam in uxorem obtulêre. In VENERE verò omnes Gratiæ sunt, *quam*, ut cum HORATIO dicam, JOVIS *circumvolat & Cupido.* Sic quoque te Deus, LARAM tuam Dea, Deæ Satellites gemini, non gemini, utrumque delicium tuum repræsentent. Sed tuam inventionem laudo, imò præfero. Quid ais verò? TAGRADULEONTEM Antverpia rediisse? Quomodò Encœnia processerint, scribe: & simul rixam Monasteriensem, inter Gallos, Catalaunos, Lusitanos. JOANNEM AUSTRIACUM venturum? PICOLOMINIUM venisse. Bene TAGRADVLFONTEM abire? Hîc ingemisco. Magnum sanè amittemus Virum, & ex eo maximè tempore, quo nobis necessarius erat. Ille capax Belli & Pacis, gnarus jam rerum omnium, & momenta callens, sustinere fortunam poterat, & Provincias conservare, par non uni hosti, si necessaria à Rege subsidia tempestive suppeditentur. Sed hasce relinquo, Politici commatis; & meam simul conditionem inspicio; quam ille Heros meliorem fecerat: prorsus ut de litteris bene mereretur. ZAPIUM verò & ego exspecto. Vale. Lovanii, in Arce, VII. Eid. Majas, CIↃ.IↃC.XLIV.

XLIV. Adjungo litteras ad Equitem noſtrum: legè, obſigna, mitte. Ecce tam ego familiariter.

EPISTOLA XXVI.

Bruxellam.

HEri veſperi Patrem tuum optimum & comitatum ſalutavi, cùm jam è rheda deſcendiſſet: ita in tempore acceſſeram genio quaſi dirigente. Poſt ſermonem brevem & amicum, accepi & Diplomata mihi cum Litteris Regiis firmatis, & Codicem Legum Barbaricarum, & duos à NARDUSÈ Libros. Adjuncta erant bina Epiſtolæ Gallicæ illius exemplaria: tertium enim AHENO cedebat. Gratiam igitur multiplicem habeo, donec referam. De Pictura cum Apelle noſtro agam, cras quid egerim ſcripturus. Liberi verò imaginem non una nobis Antiquitas repræſentat. Cæterùm ille noſter Artifex perquàm jam difficilis eſt, & ægrè deinceps penicillum capit, ſive quid pingendum, ſive delineandum ſit. Ætas & valetudo in cauſſa ſunt, & vigorem hebetant, laborem recuſant. In meis rebus vix illum auſim inter-

pellare: hic tamen quid possim, experiar. Hem, etiam AUGUSTINULUM tuum, pulchellum omninò lepidumque osculatus sum, & tanquàm te complecterer. Litteras HEGYNI remitto, quæ non minùs elegantes sunt quam Latinæ solent, quæ elegantissimæ. Meas igitur datas video, & gaudeo. Meum etiam negotium illud nummarium cùm tantopere tibi videam cordi esse, beatus sum. Amplissimum Parentem hodie iterum à Lectione salutavi. Vale, & à me, imò & ab ipso Patre salve. Lovanii, in Arce, v. Eid, Majas, ∞.IↃC.XLIV.

EPISTOLA XXII.

Bruxellam.

FAsciculum hesternum, & in eo aurum, sine litteris accepi. Omissas esse facilè conjicio, sed hodie mittendas. Aurum verò mane ad Patres illos Hibernos ipse tuli. Septem Jacobæi erant, & Coronatus unus Gallicus, An grati? Gratissimi. Nam in hoc loco Sanctitas, & simul Paupertas habitant. Qaumvis nihil scriberes, non tamen dubitavi, quin ratione Sacrorum hæc bonis Mystis pecunia esset destinata. Verum enimverò, rectè an

secus

secus fecerim vesperi intelligam. Optimo Parenti jam accincto, ut Cortebergam rediret, valedixi: atque in hunc finem, cùm nulla lectio esset, ad Collegium me contuli post horam quasi nonam. Vidi Litteras Illustrissimi Legati Cranei, & recreatus fui. Tribuit ille virtuti tuæ, quod debetur: sed ubi sanctissimæ memoriæ Verultham laudat, tenerrimè motus sum. O Deus, quantum Virum Respublica, nos Amicum amisimus! Litteras Equitis ecce remitto. Vale. Lovanii, in Arce, Prid. Eid. Maii. ∞. ɪↄc. xliv. Quatuor Exemplaria Epigrammatis petieram, sex accipio. Rependere meum est, gratiamque addere.

EPISTOLA XXVIII.

Bruxellam.

Cum salutem dico, omnia Amicitiæ officia dico; quæ Genio tuo semel consecrata, semper debentur. Sed patere ut sub tuo nomine, etiam Eubisæ complectar; quem totum simul in pectoris mei penetralia recepi. Eupantus igitur, quamdiu erit, cum Eupanto Tylbertucius & Eubisa erunt;

runt; ac dico unum felicem facient, quem candore suo & amore prosequuntur. Sed ô dolorem meum, à casu mei EUBISÆ! In faciem ipsam infortunium sævisse! Gratias læsas dixerim & quidquid in Viro venustum esse potest. Redeat igitur plena forma, plena pulchritudo, quæ animum nunquam deseruit. Redeat, inquam, ac rideat; in me tristitiam, quam concepi, absterſura. Hæc illa salus est, quam dico: tibi, & sic illi, qui tu alter es: quam scribo, ut tu dicas, tuisque, sed plenioribus verbis, exprimas. BIBLIOTHECAM BELGICAM compactam, an non compactam cupis? Id sciam quæso, & mora nulla erit. Sunt quę dicam verò, mi TYLBERTUCI, sed in aurem: quando excurres? Imò Ruremundam quando cogitas? Venisse ex Hispania Cursorem scio, ac jam Litteras, sed unas, à BRECHTIO accepi. Malim à RAMIRESIO, malim à Filio meo AUBERTO, malim à CANTELMO. Die Saturni plura. Vale cum D. Conjuge, imò cum EUBISA. Lovanii, in Arce, XIV. Kalendas Jun. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTO-

EPISTOLA XXIX.

Bruxellam.

ETiam hodie te interpello, ut curam fasciculi hujus in Italiam mittendi, suscipias. Reddo simul Horoscopum LUDOVICI Regis: in quo Titulum à manu Elegantissimum LASCÆ cognovi. Cùm scribes, salutem à me & venerationem addes. Nuperum translationis specimẽ salivam mihi movit, ut totam videre Orationem cupiam, Facundiâ Gallicâ adornatam. Ab hac lingua, & incomparabilis Viri ingenio, vitam accipiet, quæ mortua hactenus, aut certè muta jacuit, tenebris suis sepulta. Et quantùm igitur ipsimet debeo? Nunc sileo, te amo, & salvere jubeo: simul EUBISAM nostrum, & Amicos unà nuper gravi casu contusos. Mollius ego in itinere Mechliniensi ante annum cadebam. Totum enim infortunium vestes exceperant. Hem ut nunquam satis homini cautum est! ANDREAS meus hinc ad Turmam suam profectus est. In Hispania quid circa petitionem meam constitutum sit, nescio. Ad CANTELMUM, ad BRECHTIUM, adfi-

ad filium AUBERTUM iterum scribo. Litteras primas, & secundas, vide, tertias cum primis include, ac mitte, Sic tuus sum ac ero semper. Vale. Lovanii, in Arce, XIII, Kal. Jun. ∞ IↃC. XLIV. Geminas adhuc adjungo Litteras in Geldriam destinandas, ad Fratrem meum, ad Affinem.

EPISTOLA XXIII.

Bruxellam.

NOn mihi desinit bonus COSACCUS humanitatem tuã deprædicare: quam ego sic amo, ut multorum benevolentiæ antefeĕram. Inter nos amemus, & aliorum spernere divitias poterimus; victuri, ubi omne illorum nomen extinctum erit. Sed venire te velim. Quid etiam si cum LANGRENO nostro? Id si effeceris, geminam voluptatem capiam. ZAPIUM equidem amo: & quomodò ejus benevolentiâ non capiar: pecuniam verò, ad beneficium conferam: de illa Hispaniensi coràm agemus. Ego verò constitui novam petitionem instituere quemadmodùm suam mihi operam Excellentissimus CANTELMUS obtulit, hinc discedens. Non possum interim

à genero-

à generoſo animi decreto diſcedere: etiam contemnere potero, quæ alii ambiunt; quæ æſtimant, non ambire. Sed Litteras exſpecto à D. LAURENTIO RAMIRESIO. De Curſore tamen mone. Quæ præterita ſunt revocari aut mutari nequeunt: & an meliorem tum fortunam, ſperarem? Hæc major nunc via eſt, & quia in Conſultationem miſſa, inter affectum paucorum pependit. Nolo plura: colloqui cupio. Nunc GIGANTIS epiſtolam recipe. Illam BRUNI cras miſſurus ſum. FROMBKNECHTIUS ſuam mox habebit. Avunculus AHENUS nudius tertius Mechliniâ reverſus eſt, quem heri ſalutavi. Valet, te amat: tu me, & vale. Lovanii, in Arce, VIII. Kal. Junias. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA XXXI.

Bruxellam.

EPiſtolas meas in Hiſpaniam mittendas inſpexeris: quas bonus *MERCURIUS* feliciter dirigat! De te obiter ſcripſeram, quia de me non potui. Et nónne tua aliqua erat adjungenda? Ita inſinuabas. Novum nunc igitur tabellarium exſpectabimus, ab ipſo

quoque *RAMIRESIO* Litteras; qui non sinet affectum suum vacillare. De *BACCHI* imagine, hactenus cum Apelle nostro agere non licuit, quia ægrotante: tentabo tamen etiam hodie virum. Quod in promptu est, à me adfero, coronari hæderâ solitum, vel pampinis hunc Deum, ætate nunc juvenili, nunc etiam senili ut *MACROBIUS* notat. *ELIENSES* sanè barbatulum esse crediderunt, teste *PAUSANIA*. Sed quæ vestis? Nulla ferè aut modica: pannis aliquibus circumvolutus, sceptri loco thyrsum gestabat, hastulam, inquam, hæderâ ornatam, atque exarmatam. Satis hæc, ut pingatur *IOVIS SEMELISQUE* Filius. De *BIBLIOTHECA* illa *BELGICA* quid statuis? Hactenus responsum tuum exspectavi. Scribe igitur. Exonera *ZAPIUM*, si potes: ego silere jam malo quàm conqueri. Te amo, qui tam solicitè & amicè hæc mea curas. De *MARDICO* quid omnino sit, & irruptione Gallorum in Flandriam, rogo ut me certiorem facias. Gratissimum id mihi sanè erit. Fac etiam ut *NALGERNUS* tecum Lovanium excurrat. Elogia cupio equidem absolvere: indignor veró, quotidie impedimenta objici, & serenitatem ingenii impediri. Si licebit, vindicabo me mihi, æque amabo semper: Tuam quoque, & Tuos. Vale. Lo-

le. Lovanii, in Arce, Proprid. Kalend. Junias. ∞.IↃC.XLIV.

EPISTOLA XXXII.

Bruxellam.

Languorem aliquem meum in hesterna epistola notaveris. Sed nemo mortalium omnibus horis serenus est. Te quoq; adverto, tuos, ut sic dicam, Manes pati, & constantẽ tamen esse: quod tranquillioris vitæ initium est. Comiti *POTOSKIO*, quæ scribis, prælegi, qui animo te complectitur, & gratiam scribit. Ubi tesseram acceperit, mox itineri se accinget. Vidi *NANNINNONIS* litteras, vidi Catalogum Librorum, & totus in dolorem solutus sum. Quàm Bonum, quàm Doctum, quàm Magnum amisimus Virum! Quidquid ejus habeo, colligam, & ad te mittam; nisi hic malis accipere. Quando verò *WENDTII* epistolam viderim? Sed Libri τȣ̃ μακαρίτȣ quando vendentur? Unum certè alterumque emptum mihi velim, memoriæ tam bonæ caussa. Notaveram *CORPUS POETARUM GRÆCORUM* in duos Tomos distinctum: item *ORACULA SIBILLINA* G.L. & *LEXICON* PINDA-

PINDARICUM G. L. Corpus in folio est: duo reliqui libri in 8. ut appellant. Sed obsecro, quis ille JUSTINUS, qui mox sequitur, cum Notis CUJACII & PUTEANI? Ego nunc etiam totus sum in Catalogo Librorum meorum conficiendo, & negotium invenio. Schedas Epistolarum remitto, te amo, & valere cupio. Lovanii, in Arce, VI. Eid. Junias. CIↃ. IↃC. XLIV.

EPISTOLA XXXIII.

Bruxellam.

BRUNI Epistolam die Lunæ mittam, ad Amicum nostrum EUBISAM simul scripturus. De itinere meo nihil equidem statuere possum. Affectus trahit, valetudo retinet; ne alias etiam remoras commemorem, ubi voles, recensendas. Pro novis denuò gratiam. Quod reponam verò nihil est. P. FAUSTUS meus nudius tertius feliciter rediit, à quo multum sæpe solatii sumo. Sic & à Literis tuis, magnâ semper benevolentiâ scriptis. Nunc etiam de charta solicitus eras, novo stimulo ad amorem me, & officia amoris excitans: quæ tamen in me nunquam desiderari

ſiderari patiar. Ita vale, & de Septenaria BRUXELLA quid nunc tandem ſtatuere debeam, expende. Intimo EUBISÆ plurimam ſalutem. Lovanii, in Arce, III, Eid. Junias. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA XXXIIII.

Bruxellam.

AB Illuſtriſſimo BRUNO amari, magnum eſt: quid laudari? Sanè Epiſtola ejus, quæ gemma mihi fuit, & amorem, & laudem habet, & me prorſus obnoxium reddit. Scripturus igitur ſum. Atque utinam virum ipſum complectar, ac venerer. Interea hoc ago ut à mora culpa removeatur. Nam profectò circa Arcem nunc occupatus ſum, ne de aliis moleſtiis dicam: velim enim vel ipſam incendii recentis memoriam tempeſtivâ reſtauratione delere. Quid ais verò? *DAELHEMIUM* ab hoſtibus occupatum? Sed quomodo generoſiſſimo *EUBISÆ* gratum me exhibeam. Etiam novum papyri munus accepi, ac prorſùs obligatus ſum. Quid purius, candidius, utilius? Optimum & amantem *BELGII PANDTIUM* eſſe, non fruſtra cenſes

ſes. Quid de Magiſtratu novo? Avidè exſpecto. Scribe, & me ama, imò veni tandem, ſive meâ, ſive *AHENI* cauſsâ, qui obſidionis *GRAVELINGHENSIS* imaginem à me accepit. Suaviſſimam Conjugem tuam ſalvere jubeo. Vale. Lovanii, in Arce, VII. Kal. Julias, ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA XXXV.

Bruxellam.

IPſi *AHENO* faſciculum tuum tradidi, libentem lætamque manum porrigenti. Riſit novam *BORSTHII* Doctrinam, de capillis humanis: neque tamen his minis deterritus, comam abjiciet, quamvis adoptivam. Olim *CALVITIUM SYNESIUS* laudaverat, & feſtivus fuit. Sed *BORSTHIUS* nimiùm ſeverus eſt. Scribit *SALMASIUS*? Suam igitur, & Gentis ſuæ cauſſam aget, ut & Hiſpanos, & Italos & Germanos, Belgaſque comprehendat: quia jam omnes populi comati ſunt: ut pars una *GALLIAE* aliquando erat. *NIHUSII* epiſtolam ecce remitto: cujus adhuc quæſtio in ſuſpenſo eſt, de *LOTHARIO*. Ita me Deus, iraſcor ipſe mihi, & accuſo curas, quibus aſſiduè

ſiduè lancinor. Fac quæſo ut excurras; & me totum aperiam. O læta mihi, & exoptata populi vota, in *GELBERGONDIVM*, directa! *TAGRADVLEON* faveat! Scire velim quando in *HISPANIAM* Curſor diſceſſurus, ut ad *RAMIRESIVM*, ad *MENTALCVM*, & ad filium ſcribam. Vale, & me ama, quem tui pœnitus amantem habes. Lovanii, in Arce, pridie. Kal. Julias ∞. IↃC. XLIV. Cùm à Diſſertatione publica, quam de ſtrategematis inſtitui reverterer. Hoc autem argumentum plures me dies deinceps occupabit. *EUBISAM* animo complector. Dominum *DE BVRI*, quem *BVRIVM* appello, familiarem tibi eſſe cupio. Is curare res meas, te abſente ſolet.

EPISTOLA XXXVI.

Bruxellam.

SIlentium meum ut boni conſulas rogo, à ſolitis curis meis; addo, à deliciis profectum. Dedi me *VLIETIO* à te commendato: in quo homine quidquid eſt elegantiæ inveni. Iuvenis eſt, & ſenes ſuperat, ingenioſus, promptus, gratiaſque omnes Majeſtate quadam ſermonis ac ſcientiæ commendans. Certè nihil

rè nihil mihi gratius consuetudine ejus esse potuit, sive publicè, sive privatim loquar. Nam & me dicentem audit, dicta æstimat, imò & suá deinde eruditione ornat, nusquam rudis. Hoc volebam etiam ut scires hunc eloquentissimum gratiarum Mystam cum onere ad te ferendo, hodie mane discessisse. Tradet igitur *BIBLIOTHECAM VALERII*, sex item quæ adjunxi *POMPÆ PROSPHONETICÆ* Exemplaria: è quibus unũ jam tam bono Mercurio debetur. Parat ille suo ingenio illustrare GRATIUM veterem, & è melioribus, Pœtam, qui de Venatione scripsit. Meas in eundem Notas libens conferam. Vide etiam hanc inscriptionem; ut Quæstori Ærarii Brabantici *BACKERIO* eam tradas rogo. Siquid fortassis minùs ad gustum, emendabitur. Res tuas sic disponent propediem ad nos excurras. Libri è Bibliotheca τῦ μακαρίτυ *ZAPATÆ*, viri caussâ, gratissimi mihi erunt; sed qui à te mihi dari videbuntur. Veni & vale. Sanè *AHENO* tuo hoc iter debes, ego æstimabo. Lovanii in Arce, VII. Eid. Julii ∞ IↃC. XLIV. Litteras TAGRADULEONTIS libens vidi. Sed ZAPIUS quando mihi ζάπλϑτος erit? Te, tuam, VLITIUM quoque felices ac lætos esse cupio.

EPISTO-

EPISTOLA XXXVII.

Bruxellam.

HÆc quidem die Saturni scripta erat Epistola, neque missa, sive meâ serius scribentis, sive famuli tardius ferentis culpâ. Nihil interea, quod adjungam; cùm omnia quoque incipiam in adventum tuum differre. Habes hîc epistolam quoque Nobilis Eruditissimique Viri JANI VLITII: à quo exemplar BIBLIOTHECAE VALERIANAE, & sena POMPAE PROSPHONETICAE acceperis. Ita me Deus! Melioribus hic Libellus typis dignus erat! Illis inquam Elzevirianis, queis ORATIONES meæ recenter Amstelodami excusæ. BRUXELLAM mox recensebo,& in mundum curabo redigi. Imagines, si paratæ erunt, inseri poterunt: saltem Urbis quemadmodùm à meridie spectatur; Curiæ, & Septem Familiarum. Statue, & me ama. Lovanii, in Arce, v. Eid. Jul. ∞. IↃC. XLIV. Amicos omnes salvere jubeo, & te semper meum esse. Sed LASCA noster, an DIVAM ASSUMPTAM suo repræsentare eloquio per-

git? Præfationis Epidigmate certè & mihi, & aliis salivam movit. Iterum vale, & veni. Ut Anagrammatismus nominis tui est, felix mox, & magnus eris: *VIRTUS TIBI COELI.* VLITIUM amo, qui ingeniosus hîc fuit; non profectò A u s u inutilis, sicuti sub schemate Litterarum profitetur. Ex Hispania novum Cursorem exspectabimus: adhuc vale.

EPISTOLA XXXVIII.

Bruxellam.

PErplacuit Epistola VLITII, Viri ad antiquam elegantiam facti. Sed quod tuum facetum vocat ἐρωλοπαίγνιον, videre velim; nisi tamen Belgicum illud sit, quod nuper accepi, plusquam Græco ingenio confictum. ZAPII verba, tanquàm aurea æstimo; & Virum amo qui apud TAGRADULBONTEM mei memor fuit. Imò te amo, qui ab amore mei non recedis. Jam verò mora aliqua gravis non erit, aureum imbrem tandem allatura. Ex Italia Litteras hasce ad PICOLOMINIUM mittendas, accepi: quæ ut probè curentur, diligentiæ tuæ committo. Sed quid rerum novarum hodie? Si nunquam curio-

curiosus jam sum, ut quid sperandum de Gravelinga, intelligam. Si Copiæ erunt, Dux non deerit. Sed qui Theonisvillam pugnando liberavit nuper, audebit & Gravelingam. Deus adsit & victoriam nobis concedat; quæ via ad Pacem erit. BRUXELLAM in manus sumpsi, ut aptam Editioni reddam. Satis enim sic magna est, satis plena, satis Septenaria. Sed si hic vobis annus non servit, aliquem è præteritis sumam, suis in principio numeris notisque exprimendum. Consulatus verò DONGELBERGIANUS quidni placeat? Mi TYLBERTUCI, hæc omnia dicenda potiùs, quàm scribenda sunt. Vale, & epistolam VLITII die Lunæ exspecta. Sponsus & Sponsa tibi, & tuæ salutem dicunt: ego omnibus. Iterum vale. Lovanii, in Arce, x. Kal. August. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA XXXIX.

Bruxellam.

NImis! profectò religiosè, diei unius silentium excusas. Malo in animo tuo, quàm in calamo esse. Vicissim, nunquam ma-

 gis

gis amo, quàm cùm non ſcribo: ſcribo autem, ut amorem indicem; amo ut apud amicum rerum atque cogitationum mearum imagines exponam. Sic verò in curis moleſtiiſque, lætiorem videor auram capere: ſic majores in ſtudiis animos, quæ ex intervallo ſanè languent. Suave interdum otium eſt, ac tum vel maximè occupor. Nihil enim agere difficillimum eſt; ac tum ipſum otium grave. ENNIUM hic audio: *Otioſo in otio, animus neſcit quid velit.* Sed ad Litteras tuas redeo, quæ variè me recreârunt. EUBISAM & ELBORENAM exſpectabo: te verò quando? Cum AHENO, opinor, venies, ac me beabis. Vale. Lovanii, in Arce, VI. Kalend. Auguſt. CIↃ. IↃC. XLIV.

EPISTOLA XL.

Bruxellam.

EGo verò ſcripſi, & ad COTUIRIUM litteras miſi. De ſilentio, & amore neſcio quid amœnius effuderam; quia ſilentium tuum excuſaveras, quo non offendi, ſed augeri amor meus potuerat. Scribis, ita me Deus, etiam cùm non ſcribis: ſed ſcribendo paſcis

pascis animum meum ac studia, non scribendo magis accendis. Mittamus delicias, misi litteras, easque fortè jam à Tabellario acceperis. Illas Vossii hîc habes, pleno affectu & latinâ suavitate exaratas. Nec frustra Rempublicam illam litterariam velut communem nobis Patriam, & Spartanam velut Spartam, exornandam proponit. Si pauci conspiramus institui poterit; & modi sunt, quibus & ditissimam & opulentissimam faciamus, & rerum omnium publicarum Rempublicam. Sed aliàs. Atque utinam cum ipso Vossio conferre coram consilia liceat, & in Minervae Curiam ingenia mitiora convocare! Mi Tylbertuci, Martis studiis, illa Pacis ausim opponere, & in ferreo sæculo, auream felicitatem propagare. Cur non possumus omnia quæ volumus? Principum aures & animos, non ubique οἰσοφώτατοι tenent: ne plura dicam. Viden hanc epistolam, ad magnum Malinkrotium? Hanc ad Bonvicinium meum? Ut destinentur rogo. Vale, & Eubisam objurga, quod cùm à sudore & æstu respiraret, non me accersiverit: aquam certè in refrigerium, & totum nomine meo Puteum attulissem. Bene est, sed non sine pœna evadet, Lovanii, in Arce, IV. Kalendas August. ∞.IↃC. XLIV.

EPISTOLA XLI.

Bruxellam.

TRansmisi silentio Saturni diem, studio, an casu, nescio. Nesciebam autem quid scriberem. Ill.mi *CRANEI* Epistolam alteramque *VLITII* remitto. Ille sanè Vir Politicus est, munusque suum cum virtute administrat: hic Philologus & eruditus, nec frustra *GRATII* Latinissimi Scriptoris amans. Faxo autem mox notas illas meas, an notulas? Accipiat. Sed de Gravelinga quid tandem? Spes ne superest? Passim hîc rumor sparsus, in hostium cessisse potestatem. Tuas igitur Litteras exspecto. *AHENUM* heri quæsivi, nec inveni. Hodie fortassis felicior ero. *BRUXELLA* nostra in manibus, atque Editioni paratur: tu vide quæ imagines aptæ ac paratæ sint, & me mone. Libros *VERULTHÆ* existimo infra pretium esse. Vale & me ama. Lovanii, in Arce, Kalend. August. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTO-

EPISTOLA XLII.

Bruxellam.

Nihil mihi suavius erit, quam te & Eubisam meum complecti. Semel licebit multa. Sed Bruxellam omnino absolvere constitui, ut mox Elogia sequantur. Ipsum adhuc Carmen, quod fundamentum est operis, interpolandum fuit: interpolavi propitiis, ut sic dicam, Musis quas pridem reliquisse videor. Ausim jam non quidem judicium tuum sed Elogium exspectare. In ipso argumento placuit μηδὲν ἄγαν. Sed & minuta quædam sunt, quædam non necessaria. De libello, distinctius velim scire. Sic & rebus nostris in Flandria. Nunc te rogo ut utramque hanc ad filium meum Andream epistolam curatam esse velis. Valere te cupio, & semper meum esse. Valturium de re militari adhuc commendo. Lovanii, in Arce, v. Eid. Aug. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA XLIII.

Bruxellam.

HEri silui, brevis hodie ero, quid enim magnopere scribam? Nova illa LUTETIA PARISIORUM missa, AHENUS à me accepit. Nobilissimi MALINCKROTII, in quo viro totus candor est, & gratiarum suavitas, Litteras, ecce reddo. PANDTIUM nostrum ne accuses rogo: festinavit. Poëtæ illi Græci satis tempestivi erunt, cùm à te ferentur; sic etiam gratiores. Sed de VALTURIO nihil statuo, nisi pretium sciam. Sic amicè tecum ago, sic candidè. Miror etiam hoc Opus in Linguam Gallicam conversum esse: de quo etiam coram colloquemur. Cras ad te GRYPHUM nostrum SEPTENARIUM, ipsum, in quam, Carmen, quod septies septem constat Distichis, mittam. SCHOLIA parata sunt, & calami operam, ut sic dicam secundam exspectant. Tu an versus sic placeant in antecessum statues. Vale, & si quid de Cataracta habueris, perscribe, & me ama. Lovanii, in Arce, Prid. Eid. Aug. ∞. IↃC. XLIV. Ad ZAPIUM scribam, EUBISAM saluto.

EPISTO-

EPISTOLA XLIV.

Bruxellam.

OMnia, mi Amice, in diem Lunæ differo, missurus simul, quas Eruditissimo VLITIO debeo, Notas Gratianas. Scire velim in quem finem testimonium sibi CARASTO petat; ut ad rem scribam. Pretium id calami, ac tota gratia. Cæterùm ut meræ laudes sint, à decoro alienum est: cùm etiam sine meo lumine vir ille, è Musis natus, suo ingenio luceat, versibusqe ad famam scriptis, & promulgatis. Sed quàm difficulter regulam pecuniæ capiunt? Populus ubique obstrepit; & modus tamen necessarius est, ut commercium vigeat, & res venales sint. Hæc illa difficultas est quæ & stipendia mea hìc remoratur. Fortassis & ZAPIO manum claudunt. Ecce mittere ad eum litteras constitueram, & adhuc impedior. Ipsa verò necessitate excitabor. Vale, & quæ de Cataracta spes reliqua sit, perscribe. Lovanii, in Arce, Eidibus. Augusti. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA XLV.

Bruxellam.

HEri GRIPHUM misi: nunc Inscriptiunculam istam vide, sed subitò scriptam, & quodam quasi amoris impetu. Si placebit, bene est; sin minus, faciam ut placeat. THYRSI enim mei, in Centuriam coacti, tui erunt: quæ Laconicæ quædam velut Epistolæ sunt, & cum Testimoniis mox legentur. Hæc pridem CNOBBARA habuit; illas propediem accipiet. Adjectæ EPICVRI sententiæ aculeatæ. Statui quoque, tanti Viri Imaginem, quam alias in æs curavi incidi, inserere, & sic opusculum commendare. Gallos in Germania cæsos & ad quinque millia, à BURVENICHIO nostro accepi. A novo Pontifice nova Europæ spes. Vale, & me ama. Lovanii, in Arce, XV. Kal. Septemb. ∞ . IↃC. XLIV. GRIPHUM cum Tabella NALGERNI exspecto: Inscriptiunculam pauculis etiam verbis extendam. EUBISAM saluto, etiam ZAPIUM, si videris. Scripturus tamen sum. Boni hic Amici affirmant necdum Cataractam deditam esse, si quid certi, fac distinctè sciam.

EPIST-

EPISTOLA XLVI.

Bruxellam.

NIHUSIO, & CARASTONI placere obſequia mea cupio; dilata hactenus; quia & ipſe mihi deeſſe coactus ſum. Sed fero, non accuſo ſortem meam, aut potiùs litterarum: quas quia vindicare mihi volui non potui ſimul, quæ plerique in pretio habent. An infelix igitur? Imò aliorum felicitatem contemnam. Pauxillulum vitæ ſupereſt: id ſi adhuc liceat ſtudiis dare; & mihi & amicis omnibus ſatisfaciam. Ad GRIPHUM quod attinet, modus hic etiam ſervandus eſt; ne dum minuta nimis anxiè ſequar majora ſimul evileſcant. Eſſe verſus, qui proprie ad rem noſtram, & numerum nõ faciant? Faciunt ad ornatum qui æque neceſſarius eſt: ſit etiam SCHOLIA aptius annectentur. Diſticha ſunt ſepties ſeptem: plura nolim, pauciora deficiànt. Interim res ſepties ſeptem ſeptenariȩ expreſſæ. Itaque illibenter vel ad ſeptem ſolennes ſupplicationes, vel & ſeptem Religioſos Ordines metrum extendam. Quid ſi etiam plures ſint? Eſſe poſſint. Neſcio etiam an omnino

nino

nino ſeptem turres, quæ Curiam ornat, concamerationes inveniantur. Hac etiam ratione omnes Urbes ſeptenarios ſuos producant, noſtros ſugillent. Illis igitur ſepties ſeptenis contenti ſimus. In SCHOLIIS auctario locus ſit. Hoc nunc quæro, an Textorum lites ad alias ſe merces extendant? Ita enim loco Textorum Mercurii lites poſſint appellari. Sed quid audio? *CANTELMVM* ad nos redire? Etiam neſcio quot infortunium, à ſclopo filium meum *AUBERTVM* afflixit, ſi non ſuſtulit. Ad me nihil ſcribitur, ſed ad alios, qui de pollice confracto indicant. Hæc igitur triſtitia etiam ætatem meam onerat, vigorem obfuſcat. Obſecro quando dabitur loqui? Vale, & me ama. Lovanii, in Arce, IX. Kal. Septemb. ∞. IↃC. XLIV. Ad *CNOBBARAM* ſcripſi, eamque rogavi, ut *MARTYREMATA* mox abſolveret, *THYRSOSQVE* adjungeret proximâ hebdomade ſubmittendos. Interea Inſcriptiunculam conſtituam. Hanc die craſtini rurſus videbis. Iterum Vale.

EPISTOLA

EPISTOLA XLVII.

Bruxellam.

HEsternas etiam ſchedas accepi, inſpexi, expendi; non profectò ſine fructu. Nam quæ adhuc verbis aut ſenſu in GRIPHO vacillabant, feliciter jam conſtituta ſunt. Reliquum eſt ut ſeriò tandem ſcriptioni manum admoveam: qui non inſuavis mihi labor erit. Fortaſſis & Optimus P. FAUSTUS calami ſuppetias dabit. Kalendæ Septembris ſunt: & quidni à numero quoque menſis omen capiam? Opus commendem? Licebit igitur Encœnia iſta noſtra quæ inſtant, & quæ te ſeriò exſpectant, in hanc curam transferre. Veſperi tuas exſpectabo, novi quid fortaſſis allaturas. Meas illas ad TAGRADULEONTEM adhuc commendo. Vale. Lovanii, in Arce, Kalendis Septembris. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTO-

EPISTOLA XLVIII.

Bruxellam.

HEri silui; Litteras tamen in Italiam mittendas Tabellario nostro commendavi. Liber Nobilissimi *MALINCKROTII* ad me hodie allatus est: pro quo ingentes tibi gratias dico; Auctori debeo, Viro ut docto, sic Magno. In Hispaniam scripturus sum; sed eas die Lunæ Litteras ad *EUBISAM* nostrum mittam. Interea felix illud, quod paras, iter sit, & propitium tibi, mihique, pœnitus tuo, *TAGRADUL EONTEM* redde, ac quamprimum redi. Sic te nunc exspectare incipiam, de *GRIPHO* coram acturus. Vale, & amantem ama. Lovanii, in Arce, III. Non. Septemb. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA XLIX.

Bruxellam.

INvitus silui: & quid attinet caussam adferre? Interea ab amicissimo *EUBISA* nostro *THYRSOS* acceperis, simul cum *MARTYREMA-*

TYREMATIS excusos. BIVII hic jam quartum folium habes, quot supersint adhuc nescio: mittam verò ordine, & mox Exemplaria aliquot. BRUXELLAM nostram Reverendissimo Atrebatensi censendam BVRIVS tradidit, Vir ut amicus & doctus, ita sedulus: qui Annotationibus quibusdam suis non parum me direxit & juvit. De Editione igitur mox consilium capiemus. Filiolam tibi natam esse, & tam solenniter ab Ordinibus GELDRIÆ à Sacro Fonte susceptam gaudeo sanè & gratulor. Litteras quoque tuas D. AHENVS læto vultu animoque ostendit, quod addo, ut de affectu ejus statuas: an in Senatorium numerum assumendus sit DVNELTVS incertum adhuc. ZAPIVS magnam spem suppeditat: faxit Deus, ut voti tandem compotes reddamur; nunc te rogo, ut longioris Epistolæ loco Virtutum has aliquot Lineas habeas, & me amatus ames. Vale. Louanii, in Arce, IX. Kal. Mart. ∞. IↃC. XLV.

EPIST-

EPISTOLA L.

Bruxellam.

ET me profectò nescio quæ impedimenta abripiunt, non magna, sed tamen varia. Per hosce etiam dies in MUNITIONUM LINEIS eram; ut & me videas militem fieri, cum omnia bellis plena sint: an & à Litteris abire? Aut in militia Litteras esse, aut in Litteris militiam cogita. Méum certè est, in pravos quosdam mores hominum, & in ipsam bonarum mentium fortunam pugnare, tempora potiùs accusabo, quæ iniqua sunt, & vigorem ingeniis eripiunt ad lucrum certè non occupatis. Steriles ecce trahimus LINEAS, & his quoque vota terminamus. Statui tamen (ita ab omnibus jam Amicis urgeor) Opera mea omnia in Corpus colligere, tres aut plures Tomos efformare: quemadmodùm Illa JUSTI LIPSI à MORETO nuper edita sunt. Jam verò ad hanc rem magni sumptus necessarii: quis succurret? Ecce labores meos offero: annos, inquam, hos XLV. quibus scripsi & docui publicè, & bene de Rege, de Patria, de sæculo (ausim dicere & absit

absit verò invidia) meritus sum. Tuam igitur amplector benevolentiam, qui de præmiis petendis suggeris: & hæc ab *ORDINIBUS PATRIÆ* exspectanda esse. Nónne petit, qui meretur? Unum *GELDRIA* Civem habet (& paucos habuit) qui litteras & Sapientiam coluit, & illustrare Patriam etiam suo nomine conatus est: hunc si dignum præmio jam senem, judicabit. Pete meo nomine subsidia, quibus Opera illa mea in lucem veniant; & hæc sibi inscribi, dedicari, consecrari patiatur. Plus reddam, ita me Deus, quàm accipiam, & ut amplius præstare videar, me ipsum & quod sum, impendam. Sic dixi omnia; sed in te complector omnia. Lovanij in Arce, v. Kal. Majas. ∞. IↃC. XLV.

CENTUR. VI. PART. PRIOR.

FINIS.



ERYCI PUTEANI
EPISTOLARUM
POSTHUMARUM
AD NOBILISSIMUM
ET AMPLISSIMUM VIRUM
D. ELIAM DE BIE,
Equitem, S. Petri ad VVolvam Flumen Toparcham, Ærarii Belgici Sanctioris Consiliarium & Priorem Graphiarium, Archivorumque ibidem Regiorum Gazophilacium.

CENTURIÆ VI.
PARS POSTERIOR.

EPISTOLA I.
Bruxellam.


Revem cave, humanissime BIÆE, epistollam appelles, quæ affectu prolixa est. Moram verò nónne ipsi Thesauri, quos mittis largiter compensant? Rectè sic ÆRARIA appello, magno

 ingenio

ingenio industriaque inventa & descripta, nunc etiam & in ordinem nitidè, & in unum idioma perspicuè translata. Exprimis, ut omnia dicam, qui omnium capax erat, Parentem tuum, & egregiam indolem incomparabili candore exprimis. Apud me eam invenies fidem, quam ab ipsa Sapientia exigas: eam familiaritatem, quæ nonnisi inter veros Amicos reperitur. Meus potiùs esse desinam, quàm tuus non sim. Volo sciat omnes, te cum uno *BLITTERSWYCKIO* unum esse, quem filii loco, aut fratris constantissimè diligam. Sic prorsus de me statue. Fasciculum verò nudius tertius circa vesperam accepi. Heri penitus occupatus fui. Hodie jam, Dissertatione Publicâ absolutâ, totus Ærariorum Lectioni inhærebo. Tecum omnino ero, & sic maximè mecum. Vale, & communem animam D. *BLITTERSWYCKIUM* saluta. Amplissimum Parentem ejus nunquam satis complector. Lovanii, in Arce, subitò, III. Kalend. April. ∞. IↃC. XXXV.

EPIST

EPISTOLA II.

Bruxellam.

MAgnifica Antverpiensium spectacula quem non traxere? Me tamen valetudinis ratio domi, & pæne otiosum detinuit. Fasciculus igitur ille nuper tuus tam suaviter me affecit, ut totam haurire voluptatem visus sim. Quàm eleganter, tam amanter scribis: quæ narras autem, tanquàm penicillo picta exprimis. De reliquo quid MERCURIO dicam? Scis cum hoc solo Numine PALLADEM meam misceri: scis HERMATHENAM mihi placere. Ut nova deessent, recreare me Ærarium potuit; tam egregiè compositum, & ingeniosè, ut hoc solo fonte existimem irrigari Rempublicam quamcumque quando opus foret, posse. O arcana! Et tantum non cælo derivata! Sed de his tutius erit loqui, quàm scribere. Ut in usum veniant id verò agendum est. De Incendiis libenter quoque intelligam, meamque vicissim sententiam, sed in aurem, tibi depromam, prodeat. Ignem aurum esse jam credo: nihil flammæ nocebunt. Nova etiam prodeat VENUS, VULCANUM non timebit. Ludere videor?

At his latebris tutam scriptionem facio, aliorum improbitati sæpius obnoxiam. In Arce nostra te complecti cupio. Vale Lovanii, inter amœnitates. III. Kal. May. ∞. IϽC. XXXV.

EPISTOLA III.

Bruxellam.

QUomodò satis te amabo? Mi Optime, & Elegantissime BIAEE. Ut subleves dolorem meum, in te quodammodò transfers. Facis, quod veri omnino Amici faciunt: sed doctè, facundè, eleganter. Ut omnia dicam, me mihi reddidisti; ut sic magis etiã tuus fierem, quia serenus. Sed quis Deo, quis naturæ repugnet? Hæc ministra Dei est, & in sinum omnes suum ordine recipit; omnium, ut sic dicam mater; etiam cùm novercam possis dicere. Ergò mori malum non est, si rectè vita instituitur, si per vitam ad æternitatem imus. Quid si & bonum appellem? Tantum roboris ex epistola tua sumo, tantum affectui me tuo debere fateor, & obstrictissimum esse. Historiam Obsidionis in manus sumpsi, ut perlegerem, & ad incudem revocarem. Verbulum unum

unùm alterumque, alibi additum, alibi ademptum, magnum sæpe momentum est. Operam igitur dabo, ut quamprimum Censuram, & mox prælum subeat. Sic certè jam juvat occupari; qui suavissimus labor est. Vale, & sic BLITTERWYCKIUM complectere, ut intelligat, se perfectissimè à PUTEANO amari. O par meum O animæ candidissimæ! Vester me amor felicem facit: meus vestri æternus est; certè ut sit, adnitar. Iterum vale: & à me nunc sereno jube optimum Amplissimumque BLITTERSWYCKII nostri Patrem serenum esse. Adhuc vale. Lovanii, in Arce. VII. Kal. Novemb. CIↃ. IↃC. XXXV.

EPISTOLA IV.

Bruxellam.

TUus profectò amor nunquam silet, quæ veræ litteræ sunt, & sine tabellarii opeaut operâ perferuntur. Videar ipse, quia rariùs scribo peccare; imò amare frigidiùs, quia sic pecco. Excusationem admittis? Quoties BLITTERSWYCKIUM nostrum calamo alloquor: & te. Ab illo enim sepa-

rari tu non potes; ego nec ab illo, nec à te. Credisne? Tuum deinceps usurpabo quoque nomen, ut ille se compellari sentiat, cùm non scribam: te occupem quoque, ut vicissim ille respiret. Quid si etiam satis jam in Praxi sua negotii inveniat? Jocari me vides. Nam revera sctiptionis hoc compendium est, duos tanquàm unum habere. De Exemplari BISSEXTI mei, nescio quid scribo. Strena erit, sed sera: tempestiva tamen, quia ante VI. Diem Kalendarum Martii veniet. Nunc igitur verborum officium, animo & voto impleo, ut bis felicem, bis faustum, bis fortunatum hunc annum Bissextilem, & plures habeas. ÆRARIO quando commodum tibi erit. Ad optimum HUARTIUM scripturus sum; easque tuæ humanitati litteras commendabo. Proximâ igitur hebdomade. CNOBBARUS Historiam jam cœperit: ubi Exemplaria accepero, ostendam inter Amicos te BLITTERSWYCKIUMQUE primo loco esse. Vale. Lovanii, in Arce, Prid. Eid. Januarii. ꝏ. IↃC. XXXVI. Optimam Dominam Matrem tuam, cujus virtus pro exemplo est, salutare audeo, suavissimum simul D. VLEMINGIUM.

EPIS-

EPISTOLA V.

Bruxellam.

UNâ epiſtolâ & voluptatem, & moleſtiam adferam: illam libens, hanc invitus. Quia tam humanus, quàm curioſus es, & oblectari ſuave erit, & occupari, ut alios oblectes. Mulier hęc ſummi & incomparabilis Statuarii vidua eſt: opera quædam mariti oſtenſura, ut voluptatem capias: imploratura conſilium auxiliumque, ut moleſtiam experiaris. Videbis hîc in gemina CHRISTI Crucifixi Imagine, quid manus hominis poſſit, nec ſatiaberis, niſi alios quoque ſpectaculi participes facias. Quid etiam? Audies preces bonæ mulieris, quæ ut Tabulam Sereniſſimo Principi offerat, directionem ambit. An tempora opportuna ſint, judicabis: ſed illa in mercedem muneris aliquod viciſſim circa tributa GELDRIAE munus ſtatuit petere: quo ſi non ſtatim, poſteà fruatur. Diſcat à te quæſo, quâ ratione acceſſum ad Principem impetret: vel cujus potiùs manibus Tabulam Principi offerat, ſi hic ſexus excludatur. Hæc igitur illa moleſtia eſt, de qua dixi. Saltem ad volupta-

tem quoque nónne meliores Amicos convocabis? Elegantissimam BLITTERSWYCKIORUM curiositatem hîc scio æstimabis: imò rogo ut æstimes. Gaudebo autem, si quid consilii auxiliique mulier accipiet. Ad humanissimas tuas breve responsum miseram. Sed tabellarius an officio suo rectè functus? Heri etiam ad nostrum (& hoc satis ut BLITTERSWYCKIUM intelligas) scripsi, abeunte Bruxellam filio meo MAXIMILIANO. Vale, & me ama, familiaritatem meam excusa. Lovanii, in Arce, xv. Kal. Feb. ∞. IↃC.XXXVI.

EPISTOLA VI.

Bruxellam.

AN & amor peccat? Silui, cùm maximè scribendum esset, & gaudium, quo pectus impletum erat, explicare distuli. Caussam vis? Primum de BISSEXTO folium simul mittere animus erat: quot typis suis typographus absolveret, ut prælo subjiceretur. Duxit me in hunc diem, & quia adhuc ignavus est, à me volui inhumanitatis notam profligare. Gratulor igitur paucis simplicissimisque verbis, novam, non novam Dignitatem

tatem: qua dignus eras, priusquam acciperes; quam accipiebas, cùm eam fato Optimus Parens relinqueret. Fruere honore isto, & te ostende, ut omnia dicam, *BIÆUM* esse: illius filium, quem in omnibus repræsentas, Virum nunquam satis laudandum. Litteræ & Elegantiæ, novo quasi patrocinio evehendæ, quia tuæ sunt, languere desinent: sed majores ego animos sumam, qui utrasque tracto: qui sic magis Tuus ero. Vale, vive, me nunc magis ama. Hæc subitò, ut uberiùs mox scribam. Lovanii, in Arce, IV. Eid. Novemb. ∞. IↃC. XXXVI. D. *BLITTERSWYCKIO* intimam salutem.

EPISTOLA VII.

Bruxellam.

QUid suavius, quàm in Amici, sed veri sinu respirare. Te Amicum inveni, verum expertus sum: qui negotia mea, & sic Studia tam benigno affectu complecteris, ac si tua essent. Igitur ea commendare, superfluùm est: scribo tamen, ut officio meo & amori satisfaciam, operam daturus ne in sterili fundo obsevisse videaris. Cras verò filius meus JUSTUS

Bruxellam

Bruxellam excurret, ad te veniet, Patrem, ut omnia dicam repræsentabit. Ab Illustrissimo Præside ROSA nònne plenum sperare favorem potui? Observo, colo, veneror Virum: iis nimirum virtutibus instructum, quæ summæ dignitati & auctoritati conveniunt. Si quid de illo negotio novi erit, fac ut per filium sciam, qui subitó me monebit, ac silentio fidus erit. Vale, me ama, totumque tuum cense. Lovanii, in Arce, XI. Kal. Junii. ∞ . IↃC. XXXVII. Candidissimi pectoris amicum *D. BLITTERSVVYCKIUM* salvere iubeo.

EPISTOLA VIII.

Bruxellam.

IPsum hîc *VVENDELINUM* nostrum vides, virum, ut omnia dicam, amore tuo dignissimum. Negotium fratris sui (eo enim loco affinem habet) tanquàm suum commendat: ego tanquàm meum. Tuum puta, ut & ego, & ille, tui penitus simus, & omnia benevolentiæ tuæ debeamus. Plura *VVENDELINUS* dicet, daturus simul schedas, quæ ab Optimo nostro & officiosissimo *BLIT-*

TERSVVYCKIO acceperam. De BREDA quid? Dedicatiunculam obiter à te annotatam exſpecto, ut Volumini Præfationum mearum inſeratur; quod Filius meus JUSTUS parat. Vale, me, & VVENDELINUM meum ama. Hoc & Prudentiſſimam Dominam Matrem tuam rogo, quæ utrumque velut filium, certè clientem habitura eſt. Vale & ſalve. Lovanii, in Arce, IV. Kal. Aug. ∞. IↃC. XXXVII.

EPISTOLA IX.

Bruxellam.

ALiqmid ſanè ſubſidii, imò ornamenti ex occulta illa *PHILOSOPHIA* Diſſertationes meæ *GELLIANÆ* capient. Deprehendo verò in arena gemmas latêre, in luto aurum. Munus igitur tuum aureum, imò gemmeum appello: in hoc meo nil niſi lutum, nil niſi arenam invenies. Primus liber, & particula ſecundi deſideratur. Imagines ſalibi: aliquid gratiæ atque naturæ habent: etiam in *PONTI* Fabula, quæ partem conſtituit voluminis, ſed in finem perfecta. Quia Lingua, ut video, Germanica in deliciis tibi, ex-

cutiam

cutiam Bibliothecam meam; ut si quid dignum Lectione, transmittam. Aliquid sic etjam fortasse in arena gemmæ erit, in luto auri. Vale. Lovanii, in Arce, v. Kal. Junii. ∞. IↃC. XXXIX. Optimam Prudentissimamque Matrem tuam strenuumque affinem, (cui familiaris esse cupio) singulari affectu salvere jubeo. Iterum vale, & me amare perge. Quid si brevi me rursus præsentem videas? Proximis, nisi aliud intercurrat, feriis. Adhuc vale.

EPISTOLA X.

Bruxellam.

NEscit vinci generosus ille animus tuus, quem ego nisi cultu & veneratione prosequar, inhumanissimus & ingratissimus sim. Scribis aurum, & mittis aurum, meque totum tibi obnoxium habes, antea obstrictum. Quot nummi, tot professò nodi sunt, & quâdam, ut sic dicam, Amicitiæ religione nexi. Hoc igitur nunc est, non in ære tuo, sed auro, & magis in animo esse, qui totus aureus est, & liberali virtute splendens. Admitto munus; sed hac conditione, ne hostimentum recuses.

recuses, quot tamen non videor solo *MARTYREMATUM* Libro constituere posse. Scient Posteri, non infelicem *PUTEANUM* fuisse, quia verum Amicum *BIÆUM* habuit, *BLITTERSWICKIUM* in *BIÆO*. Plura quid scribam? Velim dicere, & ipsum tibi pectus meum aperire. Prodiissent pridem *MARTYREMATA*, nisi Consilii Sanctioris Censura dilata fuisset. Tot nomina, & quædam plebeia displicere visa sunt. Tollam igitur nomina, & quod in *THIRSIS* meis *PHILOTESIIS* feci, hîc sequar, formulas quasi Testimoniorum in exemplum daturus. Sed quid ais? Et in te malignam aliquam auram spirare? Contemne: quia virtute munitus, animosus esse potes, & medium invidiæ unguem ostendere. Tuus sum, & pro te quoque cupio stare. Lovanii, in Arce, XI. Kal. Septemb. ∞. IↃC. XLI.

EPISTOLA XI.

Bruxellam.

UT vides, I litteram malim Euphoniæ caussâ præponere, si idem tamen aurium tuarum judicium est. Sed boni consule quæso silentium meum, in hunc usque diem protra-

protractum. Quid negotii? Nuptiæ. Filius enim meus *MAXIMILIANUS*, postquàm toto decennio inter Equites stipendia fecit, etiam Signiferi munere perfunctus, uxorem duxit, bonam, prognatam bonis. Det Deus, ut felix fortunatumque matrimonium sit! In hac nunc lætitia magis gaudeo, te dolore & metu liberatum, quem è periculoso filioli morbo ceperas. Convalescat igitur penitus, & novam vitam sibi dulcissimisq; Parentibus ordiatur! *TYLBERTUCII.* reditum avidè exspecto. Reliqua quæ amicitiæ nostræ debeo officia in crastinum differo: nunc enim à Dissertatione publica reversus, vix scribendi spatium invenio. Epistola autem tua redeunti tradita est. Ad *CANTELMUM* quidni velim? Sed ipsa te merita tua provehunt. Non intellexeram verò antea quid hoc muneris esset. D. igitur *HUARTIUS* obiit? Amicus meus erat. Bene Manibus ejus sit. De *ARIA* gaudeo, tandem cessuram. De *GUISIO*, admiratus sum. Libenter porrò Germanica intelligam. Ad *MALVEZZIUM* litteras cras simul mittam. Vale. Lovanii, in Arce, Nonis *Decemb.* CIↃ. IↃC. XLI.

EPISTOLA

EPISTOLA XII.

Bruxellam.

NEscio quomodo satis candorem tuum ac benevolentiam amem; Mandatum accepi, gratiamque effusam scribo. Ad optimum Humanissimumque D. COOSMANS, quem hactenus amo & suspicio, litteras mox quoque missurus sum. Nesciebam certè, in eo eum munere & functione esse. Gaudeo igitur, & incipiam familiarius etiam virtutes ejus colere, in Litteras, quemadmodum alias expertus sum, & sic in me, proni. Affectus Marchionis MALVEZZI ita me cepit, ut jam videar cœlum vertice tangere. Placuisse verò versionem infelicitate pono. De litteris BERGEZOMIO missis, bene est: his igitur, ut spero, subsidiis Amicus noster triumphabit. Apud D. CANTELMUM liberè potes. Sciat verò ille te alterum me esse. Huc redeo, & pro Mandato sanè luculento gratias etiam atque etiam scribo. Vale, & me amare perge. Lovanii, in Arce, IV. Eid. Decemb. ∞. IↃC. XLI. TYLBERTUCIO salutem dico & omnia fausta precor. Sed ego

quamdiu abest, altèro carere oculo videor.

EPISTOLA XIII.

Bruxellam.

CAlamum sumpseram, ad D. COOSMANNUM scripturus; & ecce in limine epistolæ dubius bæsi, quos titulos usurparem. Vides igitur Humanissimi & Præstantissimi, simplicem illum, & à communi usu remotum: aptum tamen, & magnificum, si quod in homine suavissimum ac rarissimum est, æstimamus, Hæc Humanitas est, hæc Præstantia. Humanum esse, aliquid hîc divini est; præstare inter homines, est ad Deum ipsum accedere Nescio mehercle an eminere majus sit. Epistola igitur mea, à titulis nata est; quos dum excuso, verba protracta sunt, atque pagina impleta. Apud Humanissimum peccare certè non potui: apud Præstantissimum, hoc unum vocabulum titulos omnes continet. MAXIMILIANUS Filius meus cum uxore DIESTII jam habitat. Is loci caussâ, & quia patrimonium vicinum est, Satrapiam Diestiensem petit. Res à vidua Comitis NASSAVII pendet: juvare potes? Alter hic Filius

meus

meus HESSELUS plura dicet; quem mitto, ut nomine meo, & pro fratre agat. Vale, & me, meosque ama. Lovanii, in Arce, Eid. Decembris. ∞. IↃC. XLI.

EPISTOLA XLV.

Bruxellam.

QUotiescumque, & ad quoscumque scribo, scribere ad te videor; quia in tua charta, Hæc liberalitas tua fuit, quâ æstimare calamum meum voluisti. Nimirum tanquam in tuum exciperes fundum verba, quæ mentis semina sunt: tu ipse frugem & fructum dares. Mi Amice, te complector, quia tuus sum: sed ut beneficia tua merear, vide obsecro, quomodò gratus sim. Nunc autem quid scribam? GISTANI summi sanè viri litteræ me lætum faciunt, tuæ tristem. Paucis, quæ scribis, dejectus sum. Quid dicam verò? Aut quid in negotio isto agam, ut bene agam? Ubi irrita oratio tua fuit, irrita Optimi Parentis, quid mea efficiet? Vel res integra est, vel non est. Si est, scire volet, quisnam indicium mihi fecerit: si non, frustra laboro. Videor equidem inter sacrum & saxum hærere. Quas

 etiam

etiam rationes adferam, si mulieris istius mihi conditiones, si ipsa mulier ignota prorsus est? Cogitabo igitur, & consilium in animo capiam, sed sedato, quid, aut quomodò scribam, expensurus. Interim affectus noster integer ac illibatus maneat: & quem concipimus dolorem ad majorem amorem faciat. Expeditionem illam nummariam benevolentiæ tuæ commendo. Vale mi ÆBAELYSI, & me ama, imò TYLBERTUCIUM meum. Lovanii, in Arce, subitò, IV. Kal. Jul. CIƆ. IƆC. XLII.

EPISTOLA XV.

Bruxellam.

DE MARTYRMATIS, ab Amico neglectis, heri scripsi: sed volupe erit intelligere, in manus tuas venisse. Inscriptionem, ipsamque deinde dedicationem; quantum potui, constitui. Titulus tamen Toparchiæ inserendus erit, ut suis Inscriptio numeris compleatur. Placebit hæc Formularum Centuria Scholis Academiisque, & cum Epistolis meis passim legetur. Utilitas operis famam faciet. Semper enim, & ubique scribuntur Testimonia; sed simpliciter sæpius, ne dicam

eam ineptè. Hinc saltem aliquid ingenii, aliqud etiam coloris, atque elegantiæ invenias; multum varietatis. Ita alii judicant, editionemque avidè exspectant. Sed mihi satis erit, nomen tuum virtutesque celebrari; meum tibi in aliquo etiam pretio fuisse. Sic nunc vale, iterumque salve; rerumque me novarum, si quæ erunt, participem redde. Lovanii. in Arce, Prid. Non. Novemb. qui Natalis meus est. Anno, ∞. IↃC. XLIII.

EPISTOLA XVI.

Bruxellam.

MAXIMILIANI, mei iter quia disatum est, novam scribendi occasionem arripui: quamvis deesse argumentum videretur. Veniam ad studia, si negotia nulla se offerunt, & te quoque ad otia mea traham, qui semper occuparis. Cum nuper, Pridie Nonas Novembris, Natalem meum LXX. celebrassem, seriò expendere vitæ summam cœpi: exiguam esse, etiam in senium extensam. Somnii instar quicquid præteriit: futurum jam, non tantùm incertum, sed & deterrimum est, ut in fundo fæces, ubi vinum defluxerit.

Ut ætas verò hæc mea est, nescio equidem vivere nunc desinam, an verò incipiam. Satis enim hactenus laboratum est: anni etiam quò maturiores, majorem fructum poscunt, præsertim cùm flores hactenus dedisse videar. Quid videtur? Instruere, & quidem seriò, quia serò, *VITÆ HUMANÆ BIVIUM* agressus sum, *LINEISQUE* Virtutum ac Vitiorum diducere. Non vastum Opus, sed utile & exactum exspecta: quæ publicæ & quotidianæ Dissertationes meæ sunt, mox etiam in typos proferendæ. Velim etiam, quæ *CIRCULI URBANIANI* reliqua sunt, & parata, nostro hîc typographo consignare: illa item, quæ Doctrinam Temporum spectant. Tempora autem in hac potissimùm ætate mea consideranda sunt; quamvis ad omnem omnino pertineant. Alia quoque sunt, de quibus aliàs. Adest enim, & urget filius, jam jam abiturus. Abrumpo igitur, & toto te animo complector. Lovanii, in Arce, x. Kal. Decemb. ∞. ƖↃC. XLIII.

EPIS-

EPISTOLA XVII.

Bruxellam.

QUod felix igitur faustumque sit & Reipub. & nobis privatim, annum ∞. I Ↄ C. X L I V. ingressi sumus: de quo si quid mox publicè dicturus sum, argumentum saltem ad te mittam. Frivola semper sunt, quæ à Divinis adferri solent, sæpe absurda ac perversa. Humana hîc amo, & quæ venustioris eruditionis sunt: quemadmodùm illa, nuper de BISSEXTO. Aliqua adhuc occurrent. Sed mihi animus adhuc tranquillus non est: à corpore quid præter naturæ defectus exspectem? Tuæ interim mihi Litteræ suaves sunt, & solatium ab Amicitia adferunt. Gratum etiam fuit, de Nuptiis Minoris D. BLATTERSWYCKII intelligere, non sine pompa celebratis. De adventu Principis AUSTRIACI nescio quid dicam. In Italia sermo erat, de Duce MUTINENSI. Censuram meam ac judicium de rebus nostris cur exspectes? Ita me Deus, incipio cæcus esse. Quid in negotio meo RUMASSA, mox scripturus sum; favorem suum addixit: sic &

Illustrissimus PRAESES, ad quem Litteræ Regiæ jam venêre. Ad hunc ego quoque, ad Cancellarium, ad Thesaurarium, ad LAURINUM scripsi. Sed mox plura. Fasciculum istum ad Filium meum ANDREAM curæ tuæ commendo. Scribere Monasterium differo. Vale, & me ama, minùs quidem valentem. Lovanii, in Arce, IV. Non. Januarii. CIↃ. IↃC. XLIV.

EPISTOLA XVIII.

Bruxellam.

NOn possum jam nisi Laconicè. A publica enim venio Lectione, quâ *PRUDENTIAM* explicare cœpi: tabellarius autem mox discessurus. Tuæ interim Litteræ suavissimæ mihi fuêre, amoris, & officio plenæ. Cum *COTUIRIO* sic transactum esse, gaudeo: atque igitur eo & ego utar. Pulchræ, mi *EUBISA*, occupationes sunt, quæ Principibus impenduntur: tuum sic verò magis magisque ingenium solertiamque, etiam in arduis, *RUMASSA* cogniturus, ad fiduciam majorum negotiorum admittet. Ego hîc etiam quædam conscripsi, quæ ad Rempublicam faciunt,

faciunt, & ad eumdem misi. De his autem mox inter nos, & secretò agemus. Debes enim rerum mearum, & scriptionum esse particeps, Maximus Amicorum, & in quo *TYLBERTUCIUM* habeo. Quid ille verò jam? Imò ubi? Nónne rediturus erat? Cereè silet, tanquàm discesserit. Ego etiam scribere ob hanc caussam intermisi. Sed desino, ne tabellarius elabatur. Vale, & me amare perge. Lovanii, in Arce. XII. Kal Febr. ∞. IↃC. XLIV. Nova exspectabo.

EPISTOLA XIX.

Bruxellam.

INgentes gratias scribo, pro Decreto, & Papyro. Sic non tantùm Amicus, sed & liberalis es. De quo scribis verò omnia suaviter, eum enim omni humanitate conabor studiis meis conciliare. Papyro verò uti jam incipiam, sæpius & liberalius scripturus. Etenim quoties calamũ sumam, hujus me beneficii in mentem veniet: quod tanti profectò facio, ac si ingens, & è cęlato metallo munus accepissem. Veniant quoque Pennę, ut tuo non minus beneficio, quam meo ingenio ad

te evolem. Nunc has etiam Litteras ad *RAMIRESIUM* humanitati tuę & curæ commendo. Nuperæ an missæ? Multum & illæ, & hæ nunc ad fortunam petitionis meę faciunt. Sed Consultatio in proximum adhuc Cursorem differtur. Fero moram, quia propitium Illustrissimum Præsidem habeo, sed & ipsum *TAGRADULEONTEM*. *TYLBERTUCIO* meo proximâ hebdomade responsurus sum. Hęc festinus scribo, & stans pede in uno. Vale. Lovanii, in Arce, x. Kal. Febr. ∞. IↃC. XLIV. Ut sæpius intelligam nova fac obsecro, & me ama. sed Italicum Bellum an adhuc gliscit? Inde sanè Pacis initium sumendum sit. det Deus!

EPISTOLA XX.

Bruxellam.

AD te scribo cùm ad *TYLBERTUCIUM*; quem nescio, magis meum, an tuum debeam appellare. Litteras igitur istas, tanquàm communes, lege, include, mitte, & me, ut amas, amare perge. Genius ille tuus, ad meum quam maximè facit: ac videor, ut omnia dicam, in Amicitia tua respirare. Valetudo magis

do magis magisque, & cum ætate frangitur: non mihi tamen gravis, nisi quod officia, Amicis debita, alibi retardentur. Absque hoc vitio esset interdum excurrerem, coram & animum, & sermones explicarem, de rebus & publicis & privatis agerem; etiam hilaris essem, præsertim cœnæ tempore, quo diurnæ mitigari curæ solent. Sumam fortassis novum cum Vere novo, quod instat vigorem: & rebus mox, ut spero, melioribus, audebo ætatis oblivisci. Nunc cum hieme negotium est, quam laudavi olim, ut amœnus essem; nunc certè velim perstringere, quia senibus, & maximè macilentis infestam. Sed vides hanc epistolam? A filio meo ANDREA est, qui officiosam salutem addit. Te amo, & salvere jubeo. Vale. Lovanii, in Arce, Propridie Kal. Febr. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA XXI.

Bruxellam.

NEscio, an crebræ istæ mutationes & vices, hoc rerum statu utiles sint: me certè *TAGRADULEONTIS*, tam solicitè pro publica salute excubantis, discessus, quem instare

ſtare ſcribis, vehementer afflixit. Etiam *MENTALCUS* noſter in Hiſpaniam mox profecturus eſt: ille ſtrenuus, & qui bello par erat, Litteris autem ſimul addictus. Nova igitur omnia erunt: faxit Deus, ut bona, & fortunata! Quid ominis vero, navem, quâ & AUSTRIACUS, & *PICOLOMINIUS* vehendi erant, caſu, an conſilio præproperè ſolviſſe? Rem Deo committamus. Deſtinaveram ad Illuſtriſſimum Præſidem rurſus ſcribere, & benignè favorem ſuum offerenti vota mea commendare: ſed in diem ſaturni differam. Opportunus hic mihi *URBIUS* meus erit; quo & hactenus uſus ſum, aliis rebus non occupato. Sanè ut volens, ita induſtrius eſt atque cupidè operam mihi ſuam impendit. Commendo Virum, ut noſcere, & amare velis, moribus ſuavem, ingenio & eruditione elegantem, promptum quoque ſcriptione. *D. ZAPIO* jam innotuit quoque; aptus, ut & reliquam recipiat pecuniam, & ad me mittat. Sed hinc ſpem meam tuæ imprimis humanitati commendo. Quando te videbo? Quando complectar? Quando liberos ſermones ore depromam? Vale, & me ama. Lovanii, in Arce, Prid. Non. Febr. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTO-

EPISTOLA XLIV.

Bruxellam.

HOdie Mechliniam profecturus sum, ut Mentalcum salutem, cujus rhedam, mox venturam exspecto. Quia hac facilè hebdomade ibidem moram traham, te rogo, ut si quid ad me volueris, isthuc quoque transmittas. Inscribi litteræ poterunt. Justo Caecilio Puteano, Magno Consilio à Secretis. Scire velim, an D. Guilielmus De Buri, quem Urbium nominare soleo, jam Familiaris tibi esse cœperit; vir & bonus, & candidus, & doctus; mihi autem pro humanitate sua officiosus. Miseram ad eum recenter fasciculum D. Francisco de Urraca inscriptum, in quo Litteræ quoque meæ erant ad Tagraduleontem: cùm nihil hactenus receperim, dubitare possum, an in manus boni Amici hic fasciculus venerit. Si molestum non est, mitte famulum, ut inquirat. Silentium ejus valetudinem mihi jam suspectam reddit: nisi tamen, quod malim, alia impedimenta sint. Vale, & hanc meam libertatem bon-

boni consule. Tuus enim totus sum. Lovanii, in Arce, & inprocinctu ut proficiscar. Prid. Kal. Febr. ∞ : ꟾↃC.XLIV. Hic jam fasciculus ad fratrem meum est: ut curetur, rogo. De morte Pontificis constantior jam rumor est: siquid certi, quæso sciam.

EPISTOLA XLIII.

Buxellam.

VAletudinem tuam excipio, quam meliorem esse haveo intelligere, etiam brevitas suavitas est, quando sic, manum, & in ea animum *EVBISÆ* mei cerno. Non me fugiunt continuæ occupationes tuæ: iniquus sim, si ubertatem scriptionis ubique exigam. Longissimæ etiam litteræ pecuniæ erunt, quas *ZAPIVS*, ut spero, te flagitante, numerabit. Etiam, ut scripsi, à *TAGRADVLEONTE* monitus est: quo momento faciliora humanitatis tuæ officia erunt; sed me hoc tempore maximè obligabunt. Ut res meæ sunt, vicem boni industriique *LANGRENI* doleo; cujus fasciculus mihi gratissimus fuit. Magis nunc etiam Virum amo, quia in scripto suo de Longitudine, tuo honorem nomini tribuit. Sciant

exteri,

Exteri, in Aerario hîc ſanctiori Viros eſſe, qui non minus *PALLADEM*, quàm *SATVRNVM* colant, virtute ac doctrinâ prꝑſtantes: Te mihi, te Regi, te Reipublicæ, mi *EVBISA*, gratulor; te amo, te colo, te veneror. Núnc rogo, ut haſce meas ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Legatum Pacis Cæſareum *JOANNEM CRANE* Litteras commendatás eſſe Curſori velis. Humaniſſimus ille Vir tam amicè me ſuis compellavit, ut totum in admirationem rapuerit. Video igitur, aliquo me apud exteros & Magnos loco eſſe; ut parvos hîc aliquos, & malos facilius negligam. Tu me amare perge, & hîc quoque Magnus ero. Vale. Lovanii, in Arce, XI. Kal. Mart. ∞. IↃC. XLIV. Deinceps quas ad *VRBIVM* ſcribam litteras, ad te per *COTVIRVM* miſſurus ſum.

EPISTOLA XXIV.

Bruxellam.

PRidie Eid. Martias Mechliniâ Lovanium, & ad me, ut ſic dicam, redii: terrâ, an aquâ, dubium eſt: videor ſanè curru navigaſſe. Sed redii, etiam à periculus ſalvus, bono

bono Genio adjuvante. Ut ad te scriberem igitur, primum & negotium, & officium fuit: quasi & ad te sic quoque redeam; à quo tamen nunquam absum. *TAGRADVLEONTIS* humanitatem satis deprædicare non possum. Misit litteras mihi, & pecuniam mox mumeratum iri, rursus promisit. Quidni verò tantillum ad huc moræ libentes feramus? Jam ipsum *ZAPIVM*, Amicum esse, ipsâ pecuniâ majus est: cui ego Viro candorem meum & affectum testari velim, aliquâ etiam benevolentiæ tesserâ placere. Sed quid audio? TYLBERTUCIUM nostrum hac hebdomade adfore? Ita ANDREAS meus indicavit: qui hodie Mechliniam quoque profectus est, satis rerum suarum, & militæ sategens. Addidit, redire ex Hispania ALBURQUERCIUM; agi de LEOPOLDO. Sed quod Deo, & Regi placebit, obtineat. De MARTYREMATIBUS nunc cogito; quæ ut Censuræ Sanctiori subjiciantur rogo. CNOBBARA enim recudere Epistolas cœpit, quibus commodè hæc etiam Centuria addetur. Reliquę schedę apud te maneant. Vale, & me. ama. Lovanii, in Arce, Eidibus Martii. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTO-

EPISTOLA XXV.

Bruxellam.

LItteræ tuæ non parum mihi gaudii attulere, quadâm quasi tristitiæ nube circumsepto. Sic res humanæ sunt, in quibus plus semper amari, quàm jucundi. Sed meam fero sortem, cùm Amicissimi nostri *TYLBERTVCII* meliorem videam, ac pro voto venientem. Merebatur ille hoc in Majorum Patria munus; ad ampliorem mox etiam dignitatis gradum surrecturus. Veniat igitur, & suâ nos præsentiâ recreet, vultu, sermone; pariterque recreetur. Magnum *TAGRADVLEONTEM* tecum suspicio & veneror. Capax ille rerum omnium inter summas virtutes humanitatem velut gemmam habet: quâ & me, & studia ita complexus est mea, ut gratiæ non sufficiam. Operam tamen daturus sum, ut quantum debeam, agnoscam privatim, publicè aliquo ingenii signo profitear. *PAZIUM* sic amo quoque, tam bonum, tam candidum, tam Amicum: cujus jam ante etiam in re pecuniaria benevolentiam expertus sum. Nūmi qui mox venient, maximi beneficii

loco erunt. *MENTALCVS* verò die Jovis, manè, subitò Mechlinia discessit: ut intelligo, Gandavum versùs, inde Dunkerckam progressurus. Ducit secum filium meum *AVBERTVM*, quem voluit suum esse, & fortunæ suæ participem. Det igitur Deus, ut feliciter omnia! Nunc votum meum est, ut *TAGRADVLEONTEM* Rex velit nostrum diutius esse; cujus nobis, hoc præsertim rerum statu, sapientia, vigilantia, affectus maximè necessarius est, utilisque Regi futurus. Ut de me dicam; non possum sine hoc sole lucere. Consultatio super petitione mea in Hispaniam missa jam est: quid sperem, incertum adhuc. A Genero meo *BONVICINIO* qui cum Duce suo *VENETIIS* hactenus fuit litteras accepi, satis recentes. Scribit Pacis Italicę conditiones, conscriptas jam esse, Romamque missas ut à Pontifice strenuè convalescente, confirmentur. Summam esse, ut *PARMENSI* quæ ablata, restituantur: nihil præterea Principes Fœderatos petere. In Germania utinam tam propinqua spes sit! *TRANSILVANVS* cùm se moveat, & Polonis Turca minari incipiat; cavendum nobis, ne quod Græco cum sequimur exemplum, in tristissimum fatum commutemus. Avertat Deus! Hæc jam penna non satis officium suum facit: novam aut

aut novas aliquot mitte. Hoc te rogo quoque, ut de abitu Curſoris in Hiſpaniam deinceps me tempeſtivè moneas. Ad filium enim ſcribendum ſæpius erit. Vale, & *TYLBERTUCIUM* noſtrum ſi venerit, aut ubi venerit, totum meo nomine complectere, & me ama. Lovanii, in Arce, XIV. Kal. April. ꝏ. IↃC. XLIV. *MARTYREMATA* jam commendo ut tempeſtivè ad *CNOBBARAM* mittantur.

EPISTOLA XXVI.

Bruxellam.

SCribo cùm ſcribendum non eſſet, quia tabellario conſtituto non utor. Sed ordinem tranſgredi ipſa neceſſitas jubet ut quam primùm hæ litteræ meæ Duynkerckâ ad filiū meum *AUBERTUM* tanſmittantur. Voluit eum *MENTALCUS* itineris ſibi comitem eſſe, quemadmodum hactenus in familia ſingulari affectu habuit, participem quoque fortunæ ſuæ facturus. Diſceſſus tam repentinus fuit, & ſic triſtior mihi; ut vix licuerit officium Paternæ curæ proficiſcenti perſolvere. Tuâ id nunc benevolentiâ conſequar: quam imploro. Si fortaſſis, quod tamen non puto, è

portu jam *MENTALCUS* in mare avectus sit, cura, obsecro, ut hic ad me fasciculus referatur. Aliud jam non erat quod scriberem; nisi ut de *ILBERTUCIO* adhuc sciscitarem, venerit ne, an mox venturus. Impatienter hanc jam moram fero. Te complector, & salvere jubeo, & mei amantem esse. Lovanii, in Arce, XII. Kal. April. ∞. IↃC. XLIV. A Legato Cæsareo Excellentissimo *D. IOANNE CRAENE* Litteras, humanissimo affectu, Osnaburgi, Eidibus Martii scriptas accepi.

EPISTOLA XXVII.

Bruxellam.

HOc ago, quot solet, & amor meus suadet: bonis verbis votum ex primo, ut feliciter, & ex animi sententia, quæ instant festa habeas, & cum Optima Conjuge vitam novam à primo jam vere ordiaris. Res ego meas tua sorte metiar: quæ tamen meliores erunt, si aliquid ex Hispanico & aureo imbre in meum quoque sinum, quasi sterilem, cadet. Transcriptum colliibo pecuniam ajunt, ac distributum jam iri. Humanissimi igitur *ZAPII* faci-

facilem, ut ſpero manum experiar, & perquàm obligatum me agnoſcam. Sed *VRBIVS* hoc negotium aget, qui Apochamà me miſſam habet. de *MARTYREMATIBVS* ſcripſeram quoque. Bene, ſi in facilem cenſuram incident. *CNOBBARAM* tempeſtivè monebo. Hem *TYLIBERTVCIO* noſtro quando adventum gratulabor. Pater ejus hîc eſt nec ſcio an ante feſta diſceſſurus: negotia ſunt. Vale & me ama. Lovanii, in Arce. IX. Kal. April. ∞. IↃC.XLIV

EPISTOLA XXVIII.

Bruxellam.

ANDREAM meum rurſus vides, ſed à Præfecto ſuo rurſus vocatum, & pecuniæ in equos accipiendæ cauſsâ. Si quid in ipſos milites ſtipendii acceſſerit, novos ad bellum animos ſument. De navigatione *MENTALCI* varius ſermo eſt, aliquis etiam ſiniſtèr. Tuas igitur adhuc Litteras exſpectabo. Illas meas ad filium recepi: ultimas verò in Hiſpaniam miſſas jam eſſe & gaudeo, & gratiam benevolentiæ tuæ habeo. Nunc iſtum etiam faſciculum commendo, *HVYGENIO* inſcriptum: cui mittere ſtemma *CANTELMVM* volui.

volui. Sed hærere dum TILBERTUCIUM nostrum satis mirari non possum. Carmen ejus ad VOSSIUM, elegans est, & me non parum venâ suâ recreavit. VOSSIO respondet, & sic sanè par est. Ad nos verò nisi mox redierit, etiam carminibus evocandus erit. Propior jam, ut spero, pecunia mihi. Sic verò D. PAZIUM salvere jubeo; cujus humanitatem scio promptam esse, ideoque veneror. Vale, & me ama. Martyremata, quæ Duodecimam Epistolarum Centuriam constituent, à Typographo urgentur. Lovanii, in Arce, VII. Eid. April. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA XXIX.

Bruxellam.

MArtyremata accepi, mox Antverpiam mittenda, ut excudantur. Inscriptionis formulam libens sequar. Sed obsecro, Dedicationem, sive Præfationem ad dies pauculos habeam. Hinc etiam excerpere pauca constitui, quæ ad lectorem dirigantur, & Martyrematum modum explicent. Videbar equidem non ineptè quędam dixisse. Fasciculum meum ad HUGENIUM curæ tibi fuisse, non parum gaudeo

gaudeo. Heri ad *TYLBERTICIVM* scripsi, â quo delicias aliquas curiosas accepi. Sed ò dolorem meum! Optimum, Doctissimum, Humanissimum Optimatum *VERVLTAM* tam subitò extinctum esse! Lugent Litteræ, & virtutes omnes: publicum lumen periit. Ingemisco, mi *EVBISA*, & miserè jam affectum animum gero, casum, an fata? Accusans. Quid in honorem Tanti Viri possim, seriò expendam. Vesperi quoque filium *ANDREAM* exspectabo. *IVSTVS* meus Mechliniæ Anginâ & periculosè laborat: quem Deus mihi servet! Vale, & me amare perge. Lovanii, in Arce, Eidibus Aprilis. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA XXX.

Bruxellam.

HEri *NALGERNO* respondi, quæ ad *TYLBERTVCIVM* nostrum litteræ missæ. Hoc nunc ago, ut *TESTIMONIORVM FORMVLAS*, alibi adhuc emendatas, sine mora *CNOBBARA* suscipiat, & absolvat. Statui vero, his *THYRSOS* meos *PHILOTHESIOS* addere, & opusculum, ut sic dicam, aliquantum grandire. Paratur hic seorsim *VITÆ HVMA-*

NÆBIVIVM; quod, ut spero, utile juventuti futurum est. Crescat vero Amicus summus noster, & dignitate inter summos sit. TVSIVS meus convaluit ab angina sua: cui bene precando solatium ad me defers. Sed quid ais? Te cum TYLBERTVCIO Lovanium mox excursurum? Gemino modo felix ero. Descriptionem Victoriæ adversus Tartaros nunc reddo, gratiamque habeo: simul Dedicatiunculam cum Præfatione TESTIMONIORVM. Vale, & TYLBERTVCIVM saluta; imò ZAPIUM. Lovanii, in Arce, VI. Kal. Majas, ∞. IↃC. XLIV. Recreavit me meus TYLBERTVCIVS munusculo à R. P. BALDÆO misso. Miræ istæ Musarum deliciæ sunt, & APOLLINIS, jure sic appello, bellaria. Iterum vale. Lovanii, in Arce; sed jam scripsi. Quid de PICOLOMINIO? Ecce avidus adhuc novorum sum. Hodie in schola Disciplinam Militarem Romanorum exemplo Q. METELLI NVMIDICI exposui.

EPISTO-

EPISTOLA XXXI.

Bruxellam.

Affectum tuum, mi Eubisa, veneror; papyrum ecce usurpare incipio; imò, ut candidè dicam, commaculare. Audebo tamen & meum nigris Litterarum notis candorem profiteri, à fuco & fallaciis, si quis mortalium alienus. Gratiam depromo ut benevolentiam merear. Sit autem hoc nunc folium, velut præmetium; hæc epistola velut syngrapha obligationis. Sive ad te, sive ad alios scripturus sum, de tuo scribam: meæ litteræ, tuæ quodammodò erunt; patiarque, bono jure scripturam chartæ cedere, tanquàm alienum agrum feram. Hoc ago, ut indicem gratissimum hoc mihi munus esse, & præ auro, aut argento æstimari. Sed nolo in laudes papyri excurrere: malim candoris tui, quo recreor, quo foveor, quo vivo. Patieris igitur, ut & sic litteras meas deinceps occupem &, ut æstimem liberalitatem tuam, consumam. Breviter ista, quia à recenti incendio perturbatus adhuc est animus. Ab incendio, sed feliciter superato, quemadmo-

dum ad TYLBERTUCIUM nostrum scripsi. Victoria in CATALAUNIA de Gallis luculenta sanè est, magnumque rebus nostris momentum adferet. De Fratre verò omnia læta (σιὼν θεῷ) mox intelliges. Vale, me ama, TYLBERTUCIUM saluta. De excursu meo nescio quid ausim promittere. Epistolas illas quaternas hîc habes. Iterum vale. Lovanii, in Arce. Eidibus Junii ∞.IↃC. XLIV. Subito.

EPISTOLA XXXII.

Bruxellam.

NImiùm, mi EUBISA, jaces. Virum te cogita, & dolori modum ponendum esse. Sed quæso, quo fructu te affligis? Revocare mortuam non potes. Illa jam quiescit, ac beata est: ac sanè cum vita posuisse vilitatem, miseriamque non unam videtur. Quàm in omni vita ac fortuna tristia & amara omnia sunt! Largiter ipsemet experior. Et ut alia omittam, filius meus ANDREAS, in conflictu nuperrimè à Gallis læsus, totum jam mensem ex vulnere decubuit. Totum adhuc infortunium scire non potui. Hæc belli, in-

quies

quies, sunt: si audire libet, hæc vitæ sunt, ægrotare ac mori. Ergô vindica te tibi: ab homine, quæ humana, aliena non sunt. Titulos scribere sepulchrales, pium puto. Si quid etiam à me hîc præstari possit, totum me offero. Quæ nova, exspectabo. De pecunia nimiùm solicitus eras: hanc igitur in adventum Koniecxpolskii servabo. Vale, & me ama. Lovanii, in Arce, vi Kal. Augusti ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA XXXIII.

Bruxellam.

Tandem igitur, ut spero, complecti te licebit, & quæ frustrà scripsero, sermone coram explicare. Nihil æquè profectò desidero, tanquàm animo surrecturus cùm & vultu tuo, & affectu recreabor, & post magnum satis intervallum. Nunc, absente Tylbertucio nostro, ut epistolas has admittas, ac destinatas esse velis, te per amicitiam nostram rogo. Cras, ut intelligo, Cursor in Hispaniam discessurus: sed me occasio monet. & ipsa necessitas, ne diem hodiernum negligam. Scribo ad Cantelmum, & simul ad Rami-

casione, postquam ab ipso Rege Titulus & Stipendium mihi Consiliarii solenni Diplomate confirmata: quo nunc inter Consiliarios curiæ Brabantiæ censeor? Hoc igitur nunc jus meum tuæ & humanitati & affectui commendo. Ad TYLBERTUCIUM nostrum deinceps scripturus sum; sed ut in tuo fasciculo litteræ meæ deferantur. Hæc nunc obiter, ac subito scribo, ex Auditorio domum reversus. Vale & me ama. Sed obsero DIVORTIUM illud CAELESTE an vidisti? Si non, faxo exemplar habeas. Interim vale cum Domina Conjuge. Lovanii, in Arce, XVII. Kal. Decemb. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA XXXV.

Bruxellam.

AD TYLBERTUCIUM cùm scribo, nónne ad te quoque? Hoc certè aliquod nunc mihi compendium est. De TAGRADULEONTE & ego sollicitus sum. Ab hoc enim Viro & meæ fortunæ pendent, vel jam corrigendæ; vel nunquam. A CNOBBARA litteras accepi, quibus significare, *MARTYREMATA* e. imò & *THYRSOS*, in strenam missuram.

Aliquo

igitur mox ad te Exemplaria venient. Nunc in VITAE HUMANAE BIVIO versor, quæ VIRTUTUM & VITIORUM LINEAE quædam & LUMINA sunt, Magno Heröi CANTELMO inscripta. Hoc volumine, non magno, bene mereri de juventute, bene de omnibus conatus sum. Est enim perfecta Vitæ & Doctrinæ Moralis hæc Methodus, & sermonis deliciis ornatur. Si & POLITICA perfecero, summam licebit studiis manum imponere; De reliquis interim Operibus colligendis edendisque seriò cogito, & nescio quid molior. Vale, & me ama. Lovanii, in Arce. Prid. Non. Decemb. ∞. IↃC.XLIV. Epistolam VLITI mox etiam remissurus sum.

EPISTOLA XXXVI.

Bruxellam.

HAnc scribo pro papyro liberaliter ad me missa: quâ profectò ad scribendum exstimulor. Et tamen non possum nunc nisi breviter, rebus domesticis impeditus. Ita & hæ curæ calamum interdum scripturienti eripiunt. Mireris etiam hisce me diebus, à Vivis Nobili-

Nobilibus Polonis, qui è Comitatu Reginæ Lovanium evolaverant, variè interpellatum. Legatus ipse huc quoque deflectere destinavit, ille aliquando ex Auditoribus meis, & Amicis. Quid tamen futurum sit, adhuc nescio. Sed quid ais? De adventu CANTELMI rumorem adhuc circumferri? CHIFFLETIUS autem noster ante triduum suis me litteris terruit, & consternavit: scribit enim CAESARAUGUSTA nunciari, Magnum Heroëm illum desiisse vivere. Fac quæso ut sciam, quid hujus rei sit. Nam in hoc Męcenate omnis rerum mearum sita est spes. Utinam, utinam cum Suecis pax componatur! utinam calamitates suas odisse tandem Germania incipiat! Velintque Principes Imperium sub clementissimis AUSTRIACIS salvum esse! Audebo propediem humanitatem tuam implorare, ut juvare Generum meum D. IO. JACOBUM PANNDTIUM scriptiunculâ aliquâ tuâ ad R. P. GANTZIUM velis, & meis simul litteris viam aperire. Hactenus ille apud me est, profecturus VIENNAM, si spes alicujus muneris aut promotionis affulgeat. Vale, & me ama. Lovanii, in Arce. XVII Kal. Feb. ∞. IↃC. XLV.

EPISTO-

EPISTOLA XXXVII.

Bruxellam.

TOtus his diebus in BIVIO meo fui quod recensui denuò, & editioni aptavi; mox igitur sanctiori Censuræ subjiciendum. Sed silentium meum nónne tam necessariâ occupatione veniam apud te inveniet? Neque ad TYLBERTUCIUM nostrum interea scripsi. Filiæ meæ etiamnum Bruxellæ sunt, apud BASGAPEUM, jam Centurionem. De hospitio cur tam solicite excusas? Verbulū satis erat. Nunc igitur, ut suaviter tam bonis & propinquis fruaris, animumque recrees, & cupio, & rogo; mei interim memor; quem cùm Amicum habeas, inter bonos & Propinquos numerabis. Hoc etiam mihi, ut spero, Domina tribuet, ad amoris & obsequii alloquium filias admissura. Vicinæ sunt; sed horulam aliquam si assignatam obtineant, beneficium computabunt. Quemadmodum fidium ignaræ non sunt, psallent quoque gratiamque conabuntur sermoni addere, & sic placere. MARGARETA quidem satis dextera est, nisi quod vocem instrumento needum societ, aut certè vere-

verecundè cantet. Ex Hiſpania quid habemus? Vale,& me ama. Lovanii, in Arce, XIV. Kal. Feb. ∞. IↃC. XLV. A CNOBBARA quotidie Martyremata exſpectó: quæ Pridie Kal. Jan. abſolvenda erant.

EPISTOLA XXXVIII.

Bruxellam.

NUllis profectò litteris tam infauſta nomina ſcribenda ſunt, diris, aut ſilentio digna. Idem *YTLBERTUCIUS* & ſentiat, & pronunciet, tuum infortunium, haud aliter quàm ſuum habiturus. Ducantur ad *BIVIUM* qui mali ſunt, ut boni eſſe incipiant; aut ſaltem ut intelligant ſe malos eſſe, & Nemesin ſuam exſpectent. Placuiſſe tibi, tuiſque, id eſt bonis, initium iſtud ſcripti, vehementer gaudeo. Placebunt verò & jam *MARTYREMATA*, tandem, ſi Dîs placet, à *CNOBBARA* tranſmittenda. Abſoluta enim ſunt. *THYRSI* eodem Volumine adjuncti, qui adhuc ſub prælo ſudant. Pauculorum igitur dierum mora erit: exſolvamque quod debeo, nomen tuum, quod privatim in deliciis habeo, publicè veneraturus. Cauſſæ infelicis momenta

NÆBIVIUM; quod, ut spero, utile juventuti futurum est. Crescat vero Amicus summus noster, & dignitate inter summos sit. *TUSIUS* meus convaluit ab angina sua: cui bene precando solatium ad me defers. Sed quid ais? Te cum *TYLBERTUCIO* Lovanium mox excursurum? Gemino modo felix ero. Descriptionem Victoriæ adversus Tartaros nunc reddo, gratiamque habeo: simul Dedicatiunculam cum Præfatione *TESTIMONIORUM*. Vale, & *TYLBERTUCIUM* saluta; imò *ZAPIUM*. Lovanii, in Arce, VI. Kal. Majas. ∞. IↃC. XLIV. Recreavit me meus *TYLBERTUCIUS* munusculo à R. P. *BALDÆO* misso. Miræ istæ Musarum deliciæ sunt, & *APOLLINIS*, jure sic appello, bellaria. Iterum vale. Lovanii, in Arce; sed jam scripsi. Quid de *PICOLOMINIO*? Ecce avidus adhuc novorum sum. Hodie in schola Disciplinam Militarem Romanorum exemplo *Q. METELLI NUMIDICI* exposui.

EPISTO-

EPISTOLA XXXI.

Bruxellam.

AFfectum tuum, mi EUBISA, veneror; papyrum ecce usurpare incipio; imò, ut candidè dicam, commaculare. Audebo tamen & meum nigris Litterarum notis candorem profiteri, à fuco & fallaciis, si quis mortalium alienus. Gratiam depromo ut benevolentiam merear. Sit autem hoc nunc folium, velut præmetium; hæc epistola velut syngrapha obligationis. Sive ad te, sive ad alios scripturus sum, de tuo scribam: meæ litteræ, tuæ quodammodò erunt; patiarque, bono jure scripturam chartæ cedere, tanquàm alienum agrum seram. Hoc ago, ut indicem gratissimum hoc mihi munus esse, & præ auro, aut argento æstimari. Sed nolo in laudes papyri excurrere: malim candoris tui, quo recreor, quo foveor, quo vivo. Patieris igitur, ut & sic litteras meas deinceps occupem &, ut æstimem liberalitatem tuam, consumam. Breviter ista, quia à recenti incendio perturbatus adhuc est animus. Ab incendio, sed feliciter superato, quemadmo-

dum ad TYLBERTUCIUM nostrum scripsi. Victoria in CATALAUNIA de Gallis luculenta sanè est, magnumque rebus nostris momentum adferet. De Fratre verò omnia læta (σὺν θεῷ) mox intelliges. Vale, me ama, TYLBERTUCIUM saluta. De excursu meo nescio quid ausim promittere. Epistolas illas quaternas hîc habes. Iterum vale. Lovanii, in Arce. Eidibus Junii ∞.IↃC. XLIV. Subito.

EPISTOLA XXXII.

Bruxellam.

NImiùm, mi EUBISA, jaces. Virum te cogita, & dolori modum ponendum esse. Sed quæso, quo fructu te affligis? Revocare mortuam non potes. Illa jam quiescit, ac beata est: ac sanè cum vita posuisse vilitatem, miseriamque non unam videtur. Quàm in omni vita ac fortuna tristia & amara omnia sunt! Largiter ipsemet experior. Et ut alia omittam, filius meus ANDREAS, in conflictu nuperrimè à Gallis læsus, totum jam mensem ex vulnere decubuit. Totum adhuc infortunium scire non potui. Hæc belli, inquies

quies, sunt: si audire libet, hæc vitæ sunt, ægrotare ac mori. Ergò vindica te tibi: ab homine, quæ humana, aliena non sunt. Titulos scribere sepulchrales, pium puto. Si quid etiam à me hîc præstari possit, totum me offero. Quæ nova, exspectabo. De pecunia nimiùm solicitus eras: hanc igitur in adventum KONIECXPOLSKII servabo. Vale, & me ama. Lovanii, in Arce, VI Kal. Augusti ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA XXXIII.

Bruxellam.

TAndem igitur, ut spero, complecti te licebit, & quæ frustrà scripsero, sermone coram explicare. Nihil æquè profectò desidero, tanquàm animo surrecturus cùm & vultu tuo, & affectu recreabor, & post magnum satis intervallum. Nunc, absente TYLBERTUCIO nostro, ut epistolas has admittas, ac destinatas esse velis, te per amicitiam nostram rogo. Cras, ut intelligo, Cursor in Hispaniam discessurus: sed me occasio monet. & ipsa necessitas, ne diem hodiernnm negligam. Scribo ad CANTELMUM, & simul ad RAMIRESIUM

casione, postquam ab ipso Rege Titulus & Stipendium mihi Consiliarii solenni Diplomate confirmata: quo nunc inter Consiliarios curiæ Brabantiæ censeor? Hoc igitur nunc jus meum tuæ & humanitati & affectui commendo. Ad Tylbertucium nostrum deinceps scripturus sum; sed ut in tuo fasciculo litteræ meæ deferantur. Hæc nunc obiter, ac subito scribo, ex Auditorio domum reversus. Vale & me ama. Sed obsero Divortium illud Caeleste an vidisti? Si non, faxo exemplar habeas. Interim vale cum Domina Conjuge. Lovanii, in Arce, xvii. Kal. Decemb. ∞. IↃC. xliv.

EPISTOLA XXXV.

Bruxellam.

Ad Tylbertucium cùm scribo, nónne ad te quoque? Hoc certè aliquod nunc mihi compendium est. De Tagraduleonte & ego sollicitus sum. Ab hoc enim Viro & meæ fortunæ pendent, vel jam corrigendæ; vel nunquam. A Cnobbara litteras accepi, quibus significare, *MARTYREMATA* e. imò & *THYRSOS*, in strenam missuram.

Aliquo

igitur mox ad te Exemplaria venient. Nunc in VITAE HUMANAE BIVIO versor, quæ VIRTUTUM & VITIORUM LINEAE quædam & LUMINA sunt, Magno Heröi CANTELMO inscripta. Hoc volumine, non magno, bene mereri de juventute, bene de omnibus conatus sum. Est enim perfecta Vitæ & Doctrinæ Moralis hæc Methodus, & sermonis deliciis ornatur. Si & POLITICA perfecero, summam licebit studiis manum imponere; De reliquis interim Operibus colligendis edendisque seriò cogito, & nescio quid molior. Vale, & me ama. Lovanii, in Arce. Prid. Non. Decemb. ∞. IↃC.XLIV. Epistolam VLITI mox etiam remissurus sum.

EPISTOLA XXXVI.

Bruxellam.

HAnc scribo pro papyro liberaliter ad me missa: quâ profectò ad scribendum exstimulor. Et tamen non possum nunc nisi breviter, rebus domesticis impeditus. Ita & hæ curæ calamum interdum scripturienti eripiunt. Mireris etiam hisce me diebus, à Vivis Nobili-

Nobilibus Polonis, qui è Comitatu Reginæ Lovanium evolaverant, variè interpellatum. Legatus ipse huc quoque deflectere destinavit, ille aliquando ex Auditoribus meis, & Amicis. Quid tamen futurum sit, adhuc nescio. Sed quid ais? De adventu CANTELMI rumorem adhuc circumferri? CHIFFLETIUS autem noster ante triduum suis me litteris terruit, & consternavit: scribit enim CAESARAUGUSTA nunciari, Magnum Heroëm illum desiisse vivere. Fac quæso ut sciam, quid hujus rei sit. Nam in hoc Męcenate omnis rerum mearum sita est spes. Utinam, utinam cum Suecis pax componatur! utinam calamitates suas odisse tandem Germania incipiat! Velintque Principes Imperium sub clementissimis AUSTRIACIS salvum esse! Audebo propediem humanitatem tuam implorare, ut juvare Generum meum D. IO. JACOBUM PANNDTIUM scriptiunculâ aliquâ tuâ ad R. P. GANTZIUM velis, & meis simul litteris viam aperire. Hactenus ille apud me est, profecturus VIENNAM, si spes alicujus muneris aut promotionis affulgeat. Vale, & me ama. Lovanii, in Arce. XVII Kal. Feb. ∞. IↃC. XLV.

EPISTO-

verecundè cantet. Ex Hispania quid habemus? Vale, & me ama. Lovanii, in Arce, xiv. Kal. Feb. ∞. ɪↄc. xlv. A Cnobbara quotidie Martyremata exspectó: quæ Pridie Kal. Jan. absolvenda erant.

EPISTOLA XXXVIII.

Bruxellam.

NUllis profectò litteris tam infausta nomina scribenda sunt, diris, aut silentio digna. Idem *ITLBERTUCIUS* & sentiat, & pronunciet, tuum infortunium, haud aliter quàm suum habiturus. Ducantur ad *BIVIUM* qui mali sunt, ut boni esse incipiant; aut saltem ut intelligant se malos esse, & Nemesin suam exspectent. Placuisse tibi, tuisque, id est bonis, initium istud scripti, vehementer gaudeo. Placebunt verò & jam *MARTYREMATA*, tandem, si Dîs placet, à *CNOBBARA* transmittenda. Absoluta enim sunt. *THYRSI* eodem Volumine adjuncti, qui adhuc sub prælo sudant. Pauculorum igitur dierum mora erit: exsolvamque quod debeo, nomen tuum, quod privatim in deliciis habeo, publicè veneraturus. Caussæ infelicis momenta

Hh exspectabo,

exspectabo. Vale,& me semper ama. Lovanii, in Arce, Prid. Non. Feb. ∞. IↄC. XLV. In Hispaniam rursus scripturio, modo occasio sit. Hanc, & nova exspectabo.

EPISTOLA XXXIX.

Bruxellam.

NE mora esset, mittere sine ornatu ullo *MARTYREMATA* volui. Sed ut hanc familiaritatem boni consulas, te per Amicitiam nostrã, quâ continentur omnia, etiã atq; etiam rogo. Licebit aliquando luculentiore ingenii munere ac pignore, quàm conjunctus tibi sim, profiteri. Eruo nunc enim paullatim è scriniis, & schedis meis, quæ aliquando mihi scripta; ut singula proferam, & sic Operum meorum omnium Editionem adornem. *MARTYREMATVM* decem hîc Exemplaria habes, & unum complicatum, quod ad *TYLBERTVCIVM* nostrum transmittas, cum secundo *BIVII* folio. Litteræ meæ die saturni subsequentur. Tuas verò exspecto, ut sciam quid de stipendio cum D. Thesaurario actum sit. Statui etiam quæ de subsidiis Aerarii scripsi, ad Collegium Finantiarum mittere. Omnium igitur

igitur nominibus ac titulis opus erit. Vale, & me ama; in Martyrematis autem, magis affectum meum quàm ipsum munus. Lovanii, in Arce, v. Eid. Feb. ∞. ɪↄc. xlv, in Hispaniam quæ scribendi occasio sit, quæso tempestivè sciam.

EPISTOLA XL.

Bruxellam.

Has ad te Filia mea deferet, & simul folium Bivio addendum, quo Methodus Litterarum continetur. Priores Virtutum, hæ Eruditionis Lineae sunt: quas nunc etiam juventus poscebat. Lege, si otium, sed nequis alius pæter te; ad *TYLBERTUCIUM* nostrum mox mitte. Litteris ipse meis deinceps frequentior ero, ac frequentiorem faciam. Hactenus impedimenta. Scriptum illud Danicum bonum est: sed Auctor sub persona cautus, in fine vehemens, solidasque rationes adfert, ac politicè diducit. Sermo non ubique surgit, alibi calorem suum, alibi & lumen habet. Nunc quid Galli responsuri sint, exspectandum erit. Quæso siquid novi, habeam. Vale, & me ama. Lovanii, in Arce, Prid. Eid. Martii, ∞. ɪↄc. xlv.

EPISTOLA XLI.

Bruxellam.

MAgnum nunc beneficium rogo, ut hunc fasciculum Excellentissimo D. Marchioni *CASTELRODRIGO* tradas. Inest exemplar *BIVII*: tuum, imò tua hac etiam hebdomade accipies. In epistola Filium meum *ANDREAM* commendo, Propræfectum ad Præfecti munus adspirantem. Proximus est, gradu ac merito. Nuper etiam petenti prima occasio addicta est, tam à Marchione, quàm à Duce *AMALFIO*. Sed hic à me quoque interpellatus est. Operam suam ultrò Marchio *SFONDRATUS* spopondit. De Arce nihil expresse egi; indicavi tamen propediem me petiturum præsidium rebus studiisque meis, ut necessarium, ita facile. Operæ pretium igitur sit, me videre Libellum supplicem, qui inter schedas tuas latuit; ut hunc vel mutem, vel augeam, & momenta nunc rerum ac temporum expendam. Ad *TYLBERTUCIUM* mox scripturus sum. Te complector, ac salvere jubeo. Lovanii, in Arce, Prid. Non. Aprilis, ∞. I Ↄ C. XLV. *ZAPIUS*

au pe-

an pecuniam jam acceperit ? Si occasio erit, quæso verbulo uno, sed amico mone.

EPISTOLA XLII.

Bruxellam.

CEssavi his aliquot diebus scribere, ipso, ut ita dicam, otio impeditus, quod semper mihi negotium est. A Lectionibus quidem jam respiro; sed plures interim scriptiones sunt; ita variè, nec ab uno latere interpellor. Mihi quoque aliquid temporis sumpsi, ut novas *LINEAS* ducerem, easque (miraberis) Militares Meo quoque ingenio attingere *MVNITIONVM SYMMETRIAM* ausus sum, & stilo Propugnacula formare. Necdum laboris pœnitet. Dicere potui, quæ dicta non sunt, & in ambagibus compendium invenire. Hunc libellum Marchioni *SFONDRATO* inscripturus sum, Tormentorum nimirum Bellicorum Summo Præfecto: cujus ego Patrem Mediolani aliquando familiariter colui, Virum egregium, splendidum, & Litteris faventem. Libellum illum meum supplicem pro Vinea ante dies aliquot petieram: si miseris, gaudebo, & petitionem meam seriò in-

 stituam.

ſtituam. Novi Præfecti veſtri & nomen & titulos ſcire velim: quæſo adjice, & me ama. Lovanii, in Arce, Eidibus Aprilis, ∞ IↃC. XLV. Ut feliciter hæc quæ inſtant feſta tranſigas, Deum rogo.

EPISTOLA XLIII.

Bruxellam.

NEſcio quâ culpâ, remiſſior in ſcribendo ſum; ardentior tamen in amando. Ut hic vitæ meæ ſtatus eſt, non poſſunt ſine curis ipſa ſtudia eſſe. Dum privatim langueo, publicè nunc erigor, & hilareſco. Sic Litteræ tuæ ſunt, lætæ & laureatæ. Siquid diſtinctius de præclara hac Victoria perferetur, fac quæſo ſciam. Redibit ſic etiam Cæſarianis vigor, & fortuna, ut ſpero, corrigetur. De Vinea mones, teque oſtendis rerum mearum ſatagere. Hanc autem curam quomodò ſatis amem aut æſtimem? Sed obſecro ultimi faſciculi mei, in Hiſpaniam mittendi, an miſſi? In illo ad CANTELMUM Fratrem tuum Centurionem ſtudioſè commendaveram: ut & aliis nuper litteris meis. Nec eſt, quod de favore Magni illius Heröis dubitemus. TYLBERTU-

cius

cius noster pergit novos mihi Amicos conciliare; & sic subsidia, ut Opera mea omnia in lucem simul veniant. Interea eruo è schedis meis quæ adhuc præmittantur. Munitionum Lineas sic mox videbis. Natatum deinde daturus sum, & nescio quæ alia. Sed totum Ærarium vestrum scire velim: nomina eorum omnium, qui præsunt, regunt, adjuvant. Titulos quoque, & siquid huc facit. Quid si ad Ærarium subsidia Ærarii dirigam? Hæc scripsi, ac simul Ærarium Pietatis complexus sum: quod an videris nescio. Proximâ hebdomade ad Tylbertucium nostrum. Vale, & me ama. Lovanii, in Arce, III. Eid Maii. ∞. IↃC. XLV.

EPISTOLA XLIV.

Bruxellam.

Quidni & hanc adjungo, niveâ rursus & virgineâ papyro donatus? Ut libeat deinceps Epistolas scribere, liberalitate tuâ facis. Et quomodò hic candor non invitet? Prorsus, tanquàm obnoxium tibi & ingenium meum, & calamum habeas: quem utrumque amore sentio stimulari. Sed utinam quoties

ties litteras, aliquod simul mittere munusculum quam, & quantum cupio profiteri! Hîc nunc LINEAS MUNITIONUM habes; & ut tibi habeas rogo, donec permittet ille vicinus tuus, *in Dîus Luminis oras* eas prodire. TYLBERTUCIO responsurus sum. Nomina & titulos eorum omnium qui Sanctiori præsunt Ærario, cùm licebit per negotia tua, indagabis. Ita vale, & salve: etiam à KONIECPOLSKIO nostro, qui affectum cultumque suum dedicat. Si quid novi, perscribe, iterumque vale. Lovanii, in Arce, VIII. Eid. Junii, ∞. IↃC. XLV. Novam ecce papyrum hîc jam delibo.

EPISTOLA XLV.

Bruxellam.

AD nuperas quotidie volui scribere, & officium procrastinatum est. Ultimas heri accepi, & simul TYLBERTUCIANAS longas, cum Novis. Breviter nunc igitur, ut mox plenè satisfaciam. Fasciculum hîc geminum vides: alterum ad CANTELMUM, cui rursus & diligenter Fratrem tuum ALBERTUM, Centurionem in Legione GRONSFELDIA, commen-

commendavi. Itaque favor ejus proclivis erit. Alterum deinde ad Ramiresium, Virum ingenio, doctrina, humanitate eminentem, ne de Dignitate jam dicam, singularem & Amicum meum & Patronum. Uterque Bivium accipiet, quod inclusi. Tuæ igitur benevolentiæ & curæ utrumque illum fasciculum commendo. Vale, & me amare perge. Lovanii, in Arce, Kalendis Julii, ∞. IↃC. XLV.

EPISTOLA XLVI.

Bruxellam.

A tristi funere collige animum, mi Eubisa, & in publicis malis privatum disce ferre, ne bis infelix sis. Legi dolorem tuum in Epistola, & in Epitaphio. Illa quemadmodum brevis est: ita & brevem dolorem facies, quem certè nullo fructu extendas. Optima illa soror tua, illa etiam pulcherrimo nomine pulchra Christina tua, post brevem morbum, & sic beata, ad quietem transiit, & profectò ostendit, miserum non esse mori. Hæc omnibus omnino necessitas incumbit, ut aliquando desinat esse, qui est, vi-

tam quasi usuram habeat. Vide, quàm benignè adhuc tecum Natura agat. Abstulit sororem, reliquit Matrem, in qua ipsum etiam habere Patrem nunc videaris. Liceat dicere, non abstulit, quam in filiis atque filiabus superstitem fecit: toties Matrem, cùm sæpius posset mori. At in flore extincta est: non quamdiu quis vixerit, sed quomodò, in calculum venit. Et quotus quisque ad hanc ætatem ascendit? Sæculum nónne satis Antiquita verò triginta annis sæculum computavit? Nolo dicere, quæ communiter dici solent: moneo potiùs, ut Sapientiæ Præceptis obedias; imò ut magis urgeam Religionis. Sed ad Epitaphium venio: quod profectò ejusmodi est, ut vivere putem, quam luges; mori non posse, quam æternitati repræsentas. Ergo, quod dixi, dico: à tristi funere collige animum, & tuo nunc exemplo age, ut & Nobilissimus Maritus carissimam Conjugem, & suavissimi Liberi suavissimam Matrem lugere desinant. Vale, & serenitatem sume. Lovanii, in Arce, Eidibus julii. ꝏ. I Ↄ C. X L V. Subito, ut tuas accepi.

EPISTO-

EPISTOLA XLVII.

Bruxellam.

Nihil erat quidem quod ſcriberem; & nefas tamen putavi, diutius ſilere. Abit verò nunc à nobis Illuſtriſſimus D. *STANISLAUS KONIECPOLSKIUS* noſtér, ut in *BATAVIAM* ſe conferat, inibi moram etiam aliquam tracturus. Sanè ut tibi quoque valediceret, litteras ad te meas ferre opportunum cenſuit;quin imò ut officia ſua pariter offeret. Feſtinat autem quia teſſera itineraria quaſi ad terminum ſuum deducta eſt; quæ ipſa beneficii accepti monet. Egregius verò hic juvenis eſt, totus ad humanitatem factus, ingenio & eloquio promptus, & Genus ſuum & ſe dignũ genere oſtendit. Non ſine fructu quoque apud me hoc biennio fuit, quem egregiâ munificentiâ Magnus ille Belli Dux Patruus ejus, & eodem nomine, *STANISLAUS KONIECPOLSKIUS* æſtimavit. Tanti Litteras Viri Militares faciunt; qui ſe intelligunt his ſubſidiis aptiores bello eſſe, & certâ ad famam fiduciâ erigi. Sed quid de rebus noſtris? *SALAMANCA* quid attulit? Et multus quidem de

Pace

Pace cum Batavis sermo est. Det Deus, & te servet! Lovanii, in Arce, ipso Aequinoctii die. ∞.ΙↃC.XLV. *LINEAS POLITICAS* meas D. *KONIECPOLSKIUS* dabit. Sed eas nemo præter te videat.

EPISTOLA XLVIII.

Bruxellam.

NE silentio peccem, subvereri jam incipio; simul etiam, ne scriptione molestus sim. Quid autem calamo dignum hoc tempore adferam? Publica quidem tristia ferè ubique sunt: privata, quantùm licet, sustinemus. Jam verò studia mea, nescio an cum Publicis, an cum Privatis collocabo. *DOCTRINÆ CIVILIS LINEÆ* an sic placent? In his velim pergere, & quemadmodùm Tres jam libri absoluti sunt: reliquos illustrare. Nullum luculentius argumentũ est. *BRUXELLA* nostra *SEPTENARIA* parata, ut excudatur: sed hæc etiam pericula rerum Typographi promptitudinem sufflaminant. *DE NUNDINIS ROMANIS*, quæ jam ultimam accepêre manum, nescio quid statuam: quid item de aliis nonnullis scriptis meis. Jam & familiæ

liæ curis magis magisque distrahor. Præturam Vilvordiensem filio meo *MAXIMILIANO* petieram; jussusque eram bene sperare. Obsecro, juvare potes? Ex occasione commendatio tua utilis nobis sit, sive apud Excellentissimum Marchionem, sive apud illustrissimum Præsidem. Magnum hoc ego, & omnes mei beneficium æstimabunt. Scribe, ut valere te sciam, & me ama. Lovanii, in Arce IV. Eid. Octob. ∞. I Ↄ C. XLV.

EPISTOLA XLIX.

Bruxellam.

DEstinabam quotidie scribere, & ecce moram traxi: nihil enim erat magnopere, quod scriberem. Ab HAVENSIO verò illa, quæ legenda dederam, nova, necdum recepi; sed jam vetera: ita paucis diebus senescere potuêre. Obsecro, quid nascetur tandem? Pax spero. Multus & blandus de ea sermo est, & aliquid videtur non spei tantùm, sed & fiduciæ adferre. Pauci igitur dies, felices an infelices simus, aperient. Nam de Armis nostris quid dicam? Ad Litteras venio, quæ nostra negotia sunt, molestiasque suas trahunt. Sic verò

verò tuam audeo & amicam humanitatem interpellare. De NUNDINIS ROMANIS, quas explicabam Juventuti, scripsi, & ut major fructus esset, excudenda singula folia Typographo tradidi; sed à Censoris hîc Apostolici Regiique manu. Nunc ut edatur Liber, Consensu Consilii Sanctioris opus: quem dare Reverendissimus Atrebatensis solet. Hic interpellandus est: cui & epistola mea, & libellus dentur. Mitte aliquem è tuis, sed tanquàm à te quoque veniat: indicet quoque, negotium hoc tuæ esse curæ commendatum. Vale, & me TUUM ama. TORRIUS quandò rediturus? Litteræ illi meæ reddendæ erunt, quas nuper ad te misi. In posterum, ut me de discessu Cursorum in Hispaniam moneas, Amicè rogo. Lovanii, in Arce. xv. Kal. Majas. CIↃ. IↃC. XLVI.

EPISTOLA L.

Bruxellam.

NOn dubito, quin fasciculus ille meus nuperus bene redditus sit, & litteræ, quas adjunxeram, Atrebatensi, vicino tuo, tradendæ. Olim non licebat NUNDINAS sine consensu